









DECVS POLONORVM.

S. STANISLAI

Episcopi Cracouiensis & Martyris,

VITA

Bibliothecæ Ssmij Olim Sc. Crucis in Monte Calvo & S. B.

AI OANNE DŁVGOSSIO

Canonico Cracouiensi typis edita.

Nunc iterum;

Singulis Capitibus summatim præfixo compendio

ET

Latini idiomatis asperitate nonnihil castigata

Additis insuper quæ in tabulis Ecclesiæ Piotrauinensis reperta miraculis.

In lucem prodit:

Studio & impensis.

A. R. D. STANISLAI DOBIELOWICZ,

Decani Chodolienſis, Parochi Opolienſis.

Anno Salutis, 1666.

CRACOVIÆ, *Apud Viduam & Heredes Francisci Cesarÿ.*

IN GENTILITIVM STEMMA.



11566

Quatuor ingentes Aquilas, malè cæsus habebat,
Nunc vnum Cygnum STANISILAVS *habet.*
Corporis exanimi Custodes nouimus illas,
Hic VITÆ *Custos, atque Patronus erit.*
Diuinate Lechi, tam magno Martyre Magni,
Viribus hic quantus Trzebicianus *Olor?*

BIBLIOTEKA KORNICKA 11566

Illustrissimo ac Reuerendissimo

PRINCIPI,

D. ANDREÆ TRZEBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

EPISCOPO CRACOVIENSI

DVCI SEVERIENSI.

Domino ac Mæcenati Amplissimo.

VITAM ET FELICITATEM.



Vm Stanislai Cracouiensis Antistitis, & Martyris inclytissimi, Vitam & exitum, simulq; miracula, multorum encomijs iam antea celebrata, iterum in lucem produxi, Illustrissime ac Reuerendissime Præsul & Princeps. *Da veniam obsecro audaciæ, quæ* Amplitudinis tuæ *elegit patrocinium: quod debuit, fecit. Cui enim alteri erutum è tenebris opus istud ab illa fuit dedicandum præterquam* Dignitati Tuæ? *ex cuius nutu pendemus omnes, qui Rectores sumus, à Te constituti animarum, & Christi ouium custodes minores. Cui alteri & munus conatu equidem, & stylo à priscis seculis parumper discrepante pusillum, vitæ Diui Stanislai argumento verè nobile & nondum æuo nostro exactiùs lucubratum. Nonne* Tuæ Amplitudinis *nouimus ingenium omnes, cui nihil sapit, nisi ad amussim expolitum, vt pote quem omnium sublimium doctrinarum possessio ad clauum hunc deduxit: quem ita sanctè & prudenter, ita mo*

deſtè & fortiter moderaris, vt ſis imago & ſpeculum virtutum omnium, quæ in Diuo Stanislao Dignitatis Tuæ *olim ſanctiſsimo & fortiſsimo moderatore eluxerunt. Et hic in laudes vt excurram* Præſul Digniſſime Tuas, *mirum dictu, quantus ſe mihi aperiat campus! ſed datâ operâ, & ſincero candidoq; animo impetum coerceo, ac in me ipſum malo eſſe violentus quàm mutire: ne vel ſòlem faculâ accendere æſtimer, vel* Tuæ *prærogatiuæ dotes indigniùs exprimam, quàm omnino merearis, qui calamos omnes & encomia exceſſiſti. Quanquam & Diui Ignatij Martyris apophtegma me quoque deterruit, qui laudum hæc flabella, quibus* Magni *à puſillis celebrantur flagella appellauit. Et verè: ſed ſolis verecundis, inter quos, quia Principem locum occupaſti, & hâc virtute inter cæteras emines, abuti nolui negotio vanitatis. Ad ſcrutinia igitur* Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Princeps *& Antiſtes propoſitum animi, ne vocare velis altiora meum; & donum hoc, quo* Tuam *Epiſcopalem infulam atque Dignitatem veneror, authoritatis* Tuæ *defende præſidio: ſic mihi cùm Patronus eris* Tu *mihi Pallas,* Tu *& clypeus Palladis contra malignas cenſurarum catapultas eris.*

Illuſtriſsimæ ac Reuerendiſsimæ

CELSITUDINI VESTRÆ,

Seruus humillimus,

STANISLAVS DOBIELOWICZ,
Parochus Opolienſis, Decanus
Chodolienſis.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS.

IN VITAM BEATISSIMI STANISLAI Episcopi Cracouien. Martyris.

CAPVT I.

De Natalibus Sancti Stanislai.

NOtum facturus Dominus filijs hominum potentiam suam & pro suæ pietatis abundantia, fidelibus suis insperata bona largiturus, mirificæ fortitudinis viros, in Consummatione Sanctorum, in ædificatione corporis sui mystici, diuersis temporibus suscitauit, vt per illos Fidei & Religionis orthodoxæ, in salutem, & confirmationem credentium, illuminationem gentium, exterminationem Schismatum & errorum, veritas sidere inclaresceret fulgentior matutino. Inter alios autem sæculo vergente in senium, habitantibus in regione Boreali Polonis, Fidem Christi dudum antea professis, & in suo circuitu, varias gentes Idololatriæ, aut erroribus deditas, habentibus, Beatus Stanislaus ex eorum gente & genere exortus, velut

ſidus rutilum, animam ſortitus diuinis virtutibus adornatam præluxit, & caligantia ſui temporis ſæcula, fulgoris ſui lampade illuſtrauit; qui & in mortali conuerſatione militans, & deinde in cæleſti Hierarchia triumphans, prodigijs coruſcauit ſtupendis potenti verò miraculorum & operum virtute, quanti ſit fueritque meriti, ab eo in quem omnes Curas cogitationeſque ſuas verterat, quẽ Caſto & fideli pectore mundoq; corde ſuper omnia dilexerat, declaratus: contulit enim illi virtutum Dominus non apud Polonos ſolum, ſed & in vniuerſo Catholico orbe nominis claritatem. Fuit autem Beato viro Stanislao origo ex Polonorum gente & ex Cracouienſi Prouincia, & natale ſolum de vico Sczepanow, duobus milliaribus ab oppido Bochnia, in quo ſales effodiuntur, à Cracouia verò ſeptem milliaribus ſito, ex ſe quidem obſcuro, ſed viri Sancti ortu dignificato vulgatoque. Parentes pro Conditione carnis & ſæculi, nobiles illi fuêre atq; præſtantiſsimi, ac tali filio digni. Pater eius Wielislaus pro armis & nobilitatis inſignibus, Crucem candidam vnam ſuper dimidiam, in Campo rubeo deferens pro inſigni. non tam nobilitate pollens generis, quam virtutum ſplendore; vir ex militari ordine & equeſtri; & qui inter omnes domus & familiæ ſuæ Contribules, primarius & præcipuus habebatur. Sed & inter alios Polonorum Proceres, morum & virtutum iubare militariſq;

rei

rei gloria eminebat. Mater eius Bogna Fæmina & ipſa genere ingenua, ſed pudicitiæ magis decore nobilior, de raris religioſa fæmina, clara & celebris, inter fæminas ſuæ regionis ſuiq́; temporis habebatur: vtriq́; hoſpitalitatis egenorum, pupillorum & peregrinorum, omniumq́; miſerabilium, & indigentium perſonarum cura fuit in pretio, vterq́; ieiuniorum & abſtinentiarum Conſectator, quotidie in virtute & merito vterq́; exercitatione creſcebat, quotidie vterq́; in ſingulos neceſsitatem patientes, ſubſtantiam pro viribus erogabat, vterq́; probitati, modeſtiæ, frugalitati, cæteriſq́; id genus animi ornamentis enixius nauabat operam, vterq́; ieiunijs, vigilijs, & reliqua Sancti propoſiti auſteritate corpus affligebat, vterq́; Studioſus tam præceptorum, quàm conſiliorum diuinorum obſeruator; amplum homini patrimonium, ferax cenſus, & pluſquam mediocris ſubſtantia, generi reſpondens & conditioni: ſed qui vniuerſus in pauperes, promptâ & feruidâ libertate effundebatur. Dum autem rariora per id tempus, apud Polonos forent templa, & ſacra ſuperum, Wielislaus in hereditate ſua Sczepanow prouida Conſorte Bogna, & ſuggerente & inſtigante, templum fâbricat, dotemq́; ex cenſu paterno non degenerem, à miniſtris percipiendam, illi donat, diſponens Beatæ Mariæ Magdalenæ dicari templum, ad quam vterq́; coniugum miro deuotionis ferebatur ar-

dore. Largiens insuper templo vestes nobiles, & vasa argento & auro fulgentia, cæteraq; quibus res diuina expleri solet. Templi verò Sacerdotibus & Ministris, omnem suorum prædiorum & omnium nascentium, quæ humus, & pecus gignit, fidelem de omni substantia decimationem seligens, ex singulis potiora, quo præstantem in Deum mentem, præstantibus etiam muneribus testaretur, & maledictionis Cain sententiâ euitata, benedictionis Abel impertitæ, sibi quoq; impertiendæ aptior foret, atq; capacior: vtroq; insuper Coniugum, Eleemosynis, & pijs ac miserationũ actionibus nauante operam. Etiam ab vtroq; templi fores & limina, nocte & interdiu terebantur, miroque deuotionis amore, orationibus & obsecrationibus vacabant, non solum pro tempore quo Sacerdos rem Diuinam exequebatur, sed etiam pro alijs horis & temporibus, quæ sibi ad id singulariter deputarent: Certantes alter præuenire alterum, & vincere mora & diuturnitate. In mandatis & Ceremonijs Christianæ legis adimplendis, adeò religiosi, adeo sinceri, vt eorum vita & Conuersatio cæteris admirationi fieret, veluti quæ à Monastica differret parùm.

CAPVT II.

Exortus S. Stanislai.

FLuentibus autem ad vota rebus, sterilitatis opprobrio Wielislaus & Bogna angebantur, quod nullo donati

donati ſtirpis hereditario ſucceſſore forent deceſſuri. non ob id tamen quidquam de obſequio in Deum & Sanctos eius, aut de officio in egenos & quâlibet neceſſitate grauatos, remiſerant. vno animo eo deniq; deuotionis & caritatis tenore in Deum & proximum vſi, fecunditatem ſibi præſtari votis plurimis depoſcebant, prolem naſcituram obſequio & ſorti Dei mancipaturi. Annus iam eorum Coniugij triceſimus extendebatur, & tam proprio quàm alieno arbitrio quod ætas vtriuſq; in occiduum foret procliuis, nullum ſe de cætero rebantur pignus ſuſcepturos, cum Dei prouidentia & munere clauſos mirabilius aperiente vteros, ſe ſenſit Bogna Concepiſſe, & vterum geſtare. Singulas tamen voluptates & delicias, quibus ſe dudum pro Chriſti nomine abdicauerat etiam tunc peroſa, & tam victu quàm veſtitu caſtigato & ſimplici contenta, dum poſt luſtratos meridionali tempore greges in ædem ex propinquo nemore reuerteretur, ad puteum haud longè ab habitaculo ſuo, inter quercus & dumeta conſiſtentem, filium pulcherrimum nullo obſtetricis interueniente ſuffragio ſeptimo Kalendas Auguſti, in æuo iam maturato & ſeneſcenti effudit, atq; in fonte ad quem parturierat lotum, domum læta, & incolumis retulit; nullum dolorem, nullam debilitatem in partu iuxta ac poſt partum experta. ad Eccleſiam deinde Sanctæ Mariæ Magdalenæ decurrens, pro collato in-

fante & partus dono gratias Diuinæ Maiestati in lacrymarum vbertate referens, enixum fonte Baptismatis Patre Wielislao coram præsente regenerat, & nomine coaptato Stanislaum vocat: non sine euidenti præsagio & nominis huius & vocabuli significato; quod infans tunc exortus perpetuam foret & vulgatam nominis sui laudem apud præsentes & posteros, in militanti & triumphanti Ierusalem adepturus. Mouit partus tam prodigiosus noui & dudum exoptati filij non Parentes modo diuturnâ sterilitatis Confusione exemptos, sed & singulos, per circuitum vicinos, quibus non tantummodo gratulatio, sed ingens admiratio fuit iniecta, maternam alioqui prouectioris ætatis, quam rebantur (pro dierum & annorum procliuitate, quibus processerat) in fecundam, supra æstimationem humanam generasse: quapropter & Filium exortum iam tunc maximum futurum ominabantur, redigendum ad meritum, & numerum Sanctissimorum & magnorum virorum Ioannis Baptistæ, Isaac, Iacob, Ioseph, & Samson, qui & ipsi Parentes habuêre vtero quidem steriles, sed virtute fecundos, rebusq; magnis & præclaris ab eo, gerendis illum destinabant: Polonico generi grande solatium comparaturũ, & profuturus illi exortus; cum à natura ita comparatum sit, magna & diu duratura, solere tardius nasci; felicemq; dixêre patriam, quæ tam celebrem infantem dextro

sidere

ſidere produxiſſet, felices parentes quorum ſemine ſatus erat! felicia tempora, quibus ſeruatus foret: feliciſsimus Magiſtratus, cui præſideret: Natus eſt autem Stanislaus regnante apud Polonos Rege Mieciſlao primo, anno regni ſui tertio, ab ortu verò Saluatoris noſtri Chriſti Milleſimo triceſimo.

CAPVT III.

Virtutes eximiæ S. Stanislai in Pueritia.

PArtu ex voto ſupra ſpem ſuam Wieliſlaus & Bogna potiti, quo ſuperno largitori gratiora rependerent obſequia, perpetuâ ſe Caſtitatis & abſtinentiæ lege deuinciunt, & cælibem ex tunc ſe deuouent ſeruaturos vitam quod quidem ſanctæ intentionis propoſitum, ſcrupulosâ ab eis vſq; in diem mortis fuit obſeruantiâ cuſtoditum. Agebat adhuc Staniſlaus in Cunabulis & Maternis alebatur papillis, Pater tamen illius Wieliſlaus ſpiritu actus Diuino, frequenter illum in Cunis agentem audiens, & faſcias quibus amiciebatur ex pectuſculo detrahens, viſu illud & amplexu velut Spiritus Sancti habitaculum demulcebat. Sancta autem & Religioſa natura nec in puero quidem latuit, teneriori enim infantiâ perfunctus, ſæpe compertus eſt molle ſtratum (in quod Parentum indulgentiâ collocabatur) deſeruiſſe, & in nuda humo, aut palearum ſtramento quietis reſiduum exegiſſe, admirante Parente

rente vtroq́; etiam ſuam indolem, & ſine monitore conceptam religionem, ad quam formandam atq́; effingendam omnes cogitationes, omnes Curæ atq́; vigiliæ eorum erant conuerſæ. Quamprimum deinde patiebatur ætas, literis tradi, erudiriq́; puerum artibus liberalibus (quo facilius ad maiora ſuum exercitaretur ingenium) vterq́; Parens iuſsit, in quibus ediſcendis apparuit illum docile ingenium ſortitum eſſe, cupidum literarum, & præproperum, & quod ſpem non mediocrem eruditoribus ingerebat; memoriam adhæc tenacem, quæ illos ad puerum operoſius imbuendum pertrahebat. mores verò ſui modeſti, culti, verecundi, & ingenui ab omni laſciuia, omnium deniq́; ludorum (quibus ætas puerilis implicari ſolet) ſchemate abhorrentes elucere vita. Tantum inſuper in geſtibus, moribuſque, & ſingulis actionibns pudorem, tantam in ſermone & vultu modeſtiam ſeruaſſe ſpectatus eſt, & inclinationem ad virtutem, vt nec ioco, nec riſui indulſiſſe effuſiùs notaretur: ac multos propterea graues viros ad ſui amorem & admirationem pelliceret: quietis & refectionis caſtigata apud illum tempora, in quibus parco & tenui tam ſomno, quàm cibo contentus, cætera in literis percipiendis expendebat: ſi quid vero, ſupererat temporis in oratione abſumptum. In ea quoq́; ætate quamuis puerili & tenera, conſtat illum miſerationi & pietati operam dediſſe.

dediſſe. Miſerationis ergò vulgandæ in egenos, quæcunq; per licentiam ſeniorum habere poterat, illis largiebatur, erogaturus vniuerſa, niſi pædagogorum ſententia ſibi formidabili vetaretur, naturæ adoleſcens per omnia moderatæ, & pudoris ingenui, ſoboleſq; generoſa, & nobilis, in officijs Angelicis collocanda. Hæc erant Staniſlai rudimenta, hic ludus infantiæ, hæc à tenero religionis & pietatis indicia, tantarumq; virtutum feruor Diuina adiutus prouidentia redundabat in puero. Poſtea verò quam adoleſcentiam pertingens, gratia altioris capeſſendæ doctrinæ ſcholas Gneznenſes aditurus (quod eo tempore feracius illic ſtudium & eruditio copioſior haberetur) in villagium Borowno peruenisſet, & balnea pro militibus villæ adaptâta ingreſſus, corpus curare & abluere pergeret, à ſuperuenientibus militibus, & grauiter ſe ab eo (quod iniuſſu eorum balnea ingredi auſus foret) iniuriâ affectos querentibus, fuſtibus in corpore nudo cæſus, & contumelioſe eiectus eſt; patienti autem animo, & abſq; omni murmure, & querela verberationem huiuſmodi, & ludibrium perferens, in Campum vicinum egreſſus, ibi paululum ſubſtitit, & in ſaxo (quod etiam in diem hodiernum oſtenditur) genua figens, veniam dari his qui illum tam inhumanè cæciderant, precabatur. Et quantæ adoleſcens patientiæ foret, quantæ in proximum caritatis, ea de-

precatione, non inexpreſſum reliquit. Sed mirum in modum vltionum Dominus deſignare volens, quantum ſibi verberatio impia Staniſlai famuli ſui diſplicuerit, milites eorumq; ſtirpem tibiarum graui vlcere perculit, & campum in quo Dei famulus orationem effuderat ſterilitatis confuſione (quam in plura annorum centena ſcitus eſt toleraſſe) damnauit, nullo germine licet ſereretur producto. Campo exinde nomen inditum eſt, Popowa Gera; id eſt Sacerdotalis mons, quod illic in hodiernum diem perſeuerat. Tantâ inſuper modeſtiâ adoleſcentiam compoſuit, vt in ætate iuuenili auctoritatem obtineret ſenum, omnes laſciuias, omnia blandimenta corporis, quæ illa ætas ſecum fert, perhorrens atq; deuitans, dabat expectationem non exiguam futuræ de ſe probitati.

CAPVT IV.

Adoleſcens Studiorum Cauſa Pariſios pergit.

ÆTatem Epheborum Staniſlaus tranſgreſſus, dum iuuentutis tempora attigiſſet, & in triuio exercitatior doctiorq; euaſiſſet, cum ſummo ſtudendi flagraret deſiderio, ſtudia Galliarum (quæ aſſertione plurimorum florentiſsima intellexit) adeundi cupido illum cæpit, & Parentibus cognatiſq; nequicquam prohibentibus, ſed (quod tanto itineri & operi atq; diuturniori moræ ſufficeret) viaticum liberaliter confe-

renti-

rentibus, Parisios Galliarum vrbem, se contulit, atq; in Diuino & Canonico iure eruditioni tam sedulò institit, tanta discendi flagrans cupiditate, vt nihil prætermitteret, quod ad institutionem summi futuri viri pertinere videretur, ex his artibus & doctrinis, quæ illum ad summæ perfectionis normam erudirent. Et cum varia forent genera discendi, in quibus multa cum laude posset versari præclarissimam tamen Theologiæ, Philosophiæ Diuinæ scientiam elegit, mundanamque Philosophiam in diuinam commutauit : mirifica in verbis suauitas, in factis verò comitate condîta grauitas conspiciebatur; omnia sua opera ad optimam & salubrem redigere conatus partem, dubitare plurimos cògit ex mediane Polonia, an ex Gallia ortus fuerit: studijs exercitatus Parisiensibus, moribus insuper ingenuis & grauibus institutus, maturè ad perfectæ frugem virtutis conscendit, illamq; non per partes, sed totam simul comprehendit, bonis moribus & institutis celebribus, non minùs, quam literis oblectatus; ad rem maximè pertinere intelligens, vt celebris per vtraq; (artes videlicet & virtutes) euaderet, obstrepentes sibi voluptates Carnales, quam longissime effugans; serenum habens ac virgineum animum, tranquillum & pacificum. Erat ei sapientia summa supra ætatis concessa mensuram, & priusquam viri perfecti adeptus foret tempus, iam in illo singularis tam pru-

dentiæ, quàm doctrinæ lampas ſcintillabat: modeſtiam, humilitatem, probitatem, caſtitatem, temperantiam, pietatem, cæteraſq; virtutes ſocias ſibi & familiares effecerat. Animus inſuper & contra auaritiam & carnis mundiq; petulantiam nitidus & inuictus, venerem ac cæci ſtimulos amoris (quorum difficilis eſt euitatio,) in poteſtate habuit. Nihili pendens humanam gloriam, & paſsionibus animæ viriliter reſiſtens. Carnem quoq; ne laſciuire inciperet, & calentis ætatis flammas, ieiuniorum frigore, & carnis maceratione curauit reſtinguere, cuſtodiens illam ab omni illecebra, & ab omni fæminarum contubernio & contagione; perpetuam eligens & cuſtodiens caſtitatem, & in corpore mortali cæleſtium æmulatus naturam. Vnde propter has & alias multas animi ſui egregias virtutes, pluribus bonis & doctis viris amabilem ſe præſtiterat. Solicitabatur plurimorum grauium virorum ex Schola Pariſienſi admonitione (quorum ſibi familiaritatem probitate & virtute pepererat) quatenus ſe Iuris Canonici aut Theologiæ Doctoratu inſigniri pateretur. At ille conatus amicorum, faſces ſibi magiſterij ingerentium ex humilitate declinans, non indigere conditionem ſuam Cathedra Doctorali reſpondebat: ſufficere ſibi ratus, ſi doctus magis quam Doctor euaſiſſet. Subibat ei in animum dum Pariſijs verſaretur, Religionis alicuius arctioris ingre-

grediendæ cupido, & Euangelicæ perfectionis doctrina in pectore eius iugi meditatione insederat, vt sublimium magistratuum, & honorum (quos sibi in patria prouenturos haud dubitabat) calcatis stimulis, & omnibus terrenis derelictis, nudum Redemptorem, nudus redemptus sequeretur. Sed hunc ipsius conceptum (ne ab eo perficeretur) maiori illum certamini quàm quod in cænobio solitum est, Dominus reseruans, auertit.

CAPVT V.

Rediens in Patriam Canonicus & Concionator Ecclesiæ Cracouiensis ac tandem Coauditor Episcopatus constituitur.

SEptennio in Parisiensibus Scholis Stanislaus in summa discendi solicitudine exacto, haud indignam secum Bibliothecam referens, in Poloniam redijt, & amborum Parentum morte, in hereditate locupleti se videns relictum, omnem substantiam in pauperes Christi, & turbas inopum (fouens pauperes vltra sui mensuram) pia & liberali erogatione distribuit; expeditiùs absq; Sarcinis terrenis Domino seruiturus: Nondum siquidem omne propositum assumendæ Religionis, à se relegauerat. Et quemnam modum ad meliùs viuendum assumeret, assidua perplexitate distinebatur, cum interdum illi priuata, & cænobitica vita

appareret ſecurior; interdum verò occulere acceptum talentum, & ſibi tantummodò (alijs neglectis) profectum conferre, non ſatis ſalutiferum, neq; ampli meriti videbatur opus. Præſidebat eo tempore Cracouienſi Cathedræ Lampertus, qui & Zula; qui Aaroni Archiepiſcopo Cracouienſi ſuccedens, petereq; inſignia Archiepiſcopalia negligens, ſedem Cracouienſem ex Archiepiſcopali in Epiſcopalem detraxit, ſpectatæ virtutis Pontifex & raræ in Deum vir Religionis, comis atq; frugi, cuius tunc ſpectata & celebris in omni Polonica Eccleſia habebatur opinio, Fidei altitudine, & pietatis faſtigio: hic Staniſlaum ambigua colluctatione de ineundo vitæ genere, & nutantia trahentem deſidetia, diſtentum, ad ſe accerſijt. plurimum enim vitæ, & doctrinæ illi didicerat ineſſe fulgorem, & ad expediendas quaslibet neceſsitates & cauſas ſolertem, & pinguis Mineruæ, puriq; ac deterſi animi, iam tunc vernantem virtute; quem ad aſſumendum Eccleſiaſtici ſtatus ordinem pellicit, & in Eccleſia Cracouienſi creat & conſtituit Canonicum, magni illum (vt erat) pretij virum in præſens & futurum inſtinctu diuino agnoſcens. Cumq; ab eodem Epiſcopo monente & exhortante Sacerdotalibus initiatus eſſet Sacris, ita in ordine militans, quemadmodum & religio noſtra & ſuſceptum præſcribebat munus, omnes Sacerdotes ſua manſuetudine vincebat

Prædicandi deinde curam in Diæceſi & Eccleſia Cracouienſi ſuſcepit, vbi ſuauitate eloquij grauiſsima, plurimos mortalium in amorem Dei accendit, cum doctrinam ſuam vitæ nitore, & mundioris conuerſationis exemplo ornatam, vniuerſis proponeret imitandam. Spectabatur ſiquidem in eo mitis & humilis animus, modeſtus, quietus atq; purus ad domanda ſola vitia erectus, quem nec arrogantia vnquam extulit, neq; indignatio præcipitauit. Magni amoris in Deum & proximum ſpecimen, & perfectæ virtutis indicium ptæſetulit, miſericordiæ in pauperes, cupiditatibus reprimendis, ſapientiæ profectui capeſſendo, nocte & die abſtinentiæ ſe loris conſtringens, & in deſinenter diuinorum librorum lectioni inhærens, corpus ieiunio, & iugi meditatione, vigiliâ, & exercitio torquebat, glorioſiſq; pro Chriſto ſudoribus ſeſe exercere iugiter ſatagebat. Qui cum talis eſſet, ſtudebat tamen magis ignorari, quam dignoſci. Et quoniam Lampertus Epiſcopus fractà iam & feſſa ætate, & corpore, inualidum ſe nouerat, Staniſlaum ſibi ſuccedere deligebat, vt ſenectutis & debilitatis otio frueretur: ſed Staniſlaus ad conſentiendum nullo pacto poterat induci. Capiebat Zula Cracouienſis Antiſtes ex Staniſlai vita, & doctrina, & merito, voluptatem maximam, & exultatione adeò ingenti afficiebatur, vt nemo magis; videns electionis ſuæ iudicio

ſpem

ſpem̃ vberrimam reſpondiſſe, & Staniſlai nomen, & famam per præclaras artes & ſtudia propenſum fieri; fiebat ad illum ex vniuerſo Poloniæ regno frequens tam Eccleſiaſticorum quam ſæcularium concurſus, vel erûdiri in caſibus ambiguis expetentium, vel ſuis conſcientijs conſuli depoſcentium: quos ille: (vt erat naturâ facilis & lenis,) benignè exceptos ſua inſtitutione & doctrina reficiebat; inſitam à natura prudentiam cum doctrina habens concretam, & glorioſum habens à Deo præſtitum ſpiritum & excelſum, fide & ſpe plenus animus, & benignum ingenium atq; clemens, bonis operibus aſsidue paſcebatur: omnem ſimulationem diſsimulationemq; peroſus, ſimplex fuit, & pectoris aperti, ſolam veritatem habens in æſtimatione, & in cultu, aſsiduæ lectioni aut prædicationi verbi Dei, aut cauſarum expeditioni, (quæ apud illum confluentiam quandam fecerant) intentus, tempus per ſocordiam diffluere non ſinebat. Videns deniq; Zula (qui & Lampertus) Cracouienſis Epiſcopus, ſe grandiori æuo onuſtum eſſe, curam omnem regendæ Diæceſis in eum vertit, illamq; ſibi commiſit, in qua ita verſatus eſt, vt quæcunq; negotia per ſe prouida deliberatione diſcuteret, mirandum ſe cunctis non ex factis tantum, ſed & verbis præberet, Conſilijs eruditus atq; curans audientes.

CA-

CAPVT VI.

Eligitur S. Stanislaus in Episcopum Cracouiensem.

LAmperto tandem Cracouiensi Episcopo pro conditione mortali (vigesima quinta die Mensis Nouembris, Anno Domini Millesimo septuagesimo primo) morte absumpto, & ad Cracouiensem Ecclesiam tumulato, de sufficiendo nouo Pontifice Comitiorum dies secunda Februarij dicta est; ad quam cum Prælatorum, Canonicorumq; Cracouiensium frequentior ordo confluxisset, in omniumq; pectoribus ea inspiratio, is sensus, ea voluntas versaretur, neminem Stanislao Sczepanowski Pontificio digniorem honore. Obibat ipse singulorum domos, & ianuas, & se illo Culmine (longa persuasione) ostendebat indignum: sed mirum in modum incredibilis multitudo, non solum ex Cracouiensi vrbe, sed insuper ex vicinis oppidis, & vicis Plebanorum, militarium, ciuium & agrestium, quasi ex composito & signo dato, acceptoq; ad suffragia ferenda conuenit, vna omnium voluntas, idem votum, compar & concinna vociferatio, & acclamatio, Stanislaum Cracouiensi digniſsimum Episcopatu. felicem fore Ecclesiam, felicem Ciuitatem, felicem populum, tam inclyto pastore, & celebrem tam insigni & glorioso Sacerdote. Incredibili deinde cupidine omnium suffragijs Stanislaus Sczepanowski, vir virtu-

tis exploratæ atq; doctrinæ, verus Isrâèlita, in quo dolus non fuit, secundùm cor Domini, electus, & vas electionis admirabile, eloquio & sapientia pollens, nec non peritiâ legis Diuinæ & humanæ eruditus, operibus celebris, & rerum magnarum assidua praxi, atq; vsu expolitus Episcopus declaratur, qui honos ante eum habitus est nemini: verùm ille vt erat vir miram redolens mansuetudinem & humilitatem, prece & assiduâ instantiâ rogatus, pluribus diebus de consentiendo reluctabatur, asserens se tanto honore, & onere indignum, nec imbecillitati suæ fasces Pontificalis dignitatis conuenire, alium vegetioribus lacertis, vegetioriſq; ingenij virum quærerent, cui Magistratum tam sublimem, & tam difficili tempore mandarent, se illorum postulationi & summo Sacerdotio videri sibi immeritum, nec conceptis spebus responsurum. Multa vi precum obsecrationumq; à viris insignibus ornatissimis, pertinaciter contendentibus, multis supplicationum fletibus, magno cum labore tandem expugnatus, pauens ac tremens, vi quidem caritatis impulsus, officium pontificale suscepit (licet magno desiderio delitescere in quiete flagrauerit) & electioni suæ profundo satis & verecundo pudore, vix tandem præbuit assensum, ne ordinationi Diuinæ videretur refragari, quæ per tot ora & suffragia humana sibi innotescebat. A summo quoq; Pontifice Alexandro

Papa

Papa II. (cui conditio Staniſlai non literis tantummodo Boleſlai Polonorum Regis, cleri, & populi, ſed relatione multorum fuerat patefacta) confirmatus eſt, & eius iuſsione in Epiſcopum conſecratus, Principatum Cracouienſis Eccleſiæ, & iugum Domini, (ſuperbis quidem graue, humilibus verò collis leue) in dilectione Dei paſturus creditum ſibi gregem ſuſcepit. Annum vitæ agens Sextum & tric eſimum, ſola probitate, & virtute, ſolo vitæ merito, ſola vocatione Diuina & humana, clariſsimam inter Polonicæ Eccleſiæ Cathedras ſedem, in vrbe vrbium Polonicarum Cracouia, & Pontificatum ſortitus. Tunc quidem Cleri, populi, & omnium vulgari voce, Apoſtolico inſuper decreto, deſtinatus Pontifex: ſed morum, ſed virtutum & omnium Cerimoniarum Pontificalium à iuuentute peritiſsimus obſeruator; Tunc quidem Pontificum vnctione viſibili conſecratus, ſed dudum Spiritus Sancti chariſmate inuiſibili vberrimè perfuſus; Tunc in ſummum Sacerdotium ab hominibus euectus, ſed dudum & ex vtero Matris ſuæ, à Chriſto Domino (qui illum ſibi vas electionis præuiderat futurum) Polonico gregi paſtor prædeſtinatus. Obtulit tunc ad altare panem & vinum, Melchiſedech Sacerdotis morem æmulatus, haud multo poſt tempore, ſui Corporis viuam hoſtiam pro Polonici populi ſalute & libertate, in odorem ſuauiſsimum oblaturus: humanam autem ele-

ctionem̃ tunc de Staniſlao factam oſtendit Deus, (vt procedente ſermone narrabimus) ſuæ congruam voluntati, mirabilem illum, fortem, & egregium declarans, paſtorem. Ea autem tunc Staniſlai ad Pontificale culmen euectio, & tranſacta ſubſequens vitæ conuerſatio, quantum à modernæ ætatis pleriſq; Epiſcopis differat, nemo eſt qui neſciat; quorum ſi vitam, ſi conditiones, ſi mores, ſi deniq; eorum ambitioſos & prauos ingreſſus rimatus fueris, reperies profecto non Zelo Dei, aut lucri animarum non propriæ, non proximi ſalutis ſtudio, in officium Pontificale adduci, ſed locupletatione ampliori, & ſubſtantia velut ad negotium prouocari.

CAPVT VII.

Epiſcopus de vitæ conſueta auſteritate nihil remittit, vbi & in graui contemptu mira ignoſcendi facilitas oſtenditur.

POntificalem ordinem & ſarcinam Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus adeptus, veræ humilitatis virtutem eo aſcenſu non depoſuit, ſed vitam omnem ſuam omneſq; mores atq; actiones arctiori cuſtodia, & caſtigatione, arctioribus quoq; continentiæ vinculis conſtrinxit, & in Religioſorum formam redegit. In virum quoq; ſubitò mutatus diuinum, ad amorem cæleſtium (calcatis terrenis) aſsiduè dirigens affectum, verâ

verâ & perfectâ cæleſtium cupidine tenebatur, ſciens & ſibi & cuilibet alteri præſularem eminentiam gerenti, neceſsitatem impoſitam Apoſtolicam vitam æmulandi, & ſupra omnes Monachorum ſortem profeſſos excellendi; ridiculoſum, immò periculoſum ratus, non ſequi eos conuerſatione & merito, quos ſequebatur ordine, & dignitate; & Pontificali culmini non adijcere vitæ ſublimioris perfectionem. Ex nouæ inſuper dignitatis acceſsione, ardentior quoq; mens ad rectam atq; exquiſitam viuendi normam accedebat. Spiritui itaq; carnem ſubiecturus, cilicinâ togâ illam veſtit, qua in diem mortis amiciebatur, carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifigens. Non aliter ſe poſſe carnis incentiua, & fallacias dæmonis ratus ſuperare, niſi priùs domita carne ſeipſum erudiret, vt carne attenuata parſimonijs, & Spiritus efficeretur robuſtior, & grex ſibi commendatus magis inſtitueretur exemplo, quàm voce. Nihil ſibi præſtantius, nihil officioſius ducens. quàm ſequi per omnes conatus & ſtudia, perq; omnem vitam Saluatoris veneranda veſtigia. Nihil inſuper habebat vel magis proprium vel magis vſitatum, quàm viros bonos conſilio iuuare vel auxilio, cor ſuum & mentem ab affectibus relegans terrenis, & ſupernis illud omni niſu conatu coaptans. In Eleemoſynarum largitione adeò feruidus, adeò profuſus, vt ædes illius egenorum & languidorum fierent

multitudine refertæ : mater boni operis miſeratio, & pietas, etiam à puero, cum illo manſit. Super omnes quoq; egenos, pupillos, viduas & miſeros, miſericordiæ illius opera fundebantur; Cæcorum erat baculus, indigentium refectio, oppreſſorum refugium, lugentium ſolamen : omnem ſubſtantiam aut indigenbus & Eccleſijs fabriciſq; earum diſtribuens; aut in eſurientium viſceribus recondens; pecuniam Domini ſui fideli diſpenſatione feneratus, cæleſtium diuitiarum. Sanctam conquirebat vſuram. In omnium genere virtutum perfectionem adeptus, ſpe magnus, fide firmus, humilitate inſignis, caſtitate celebris, abſtinenſtiâ admirabilis, effulſit. In quo lucebat humilitas vltima, manſuetudo ineffabilis, miſeratio immenſa, conuerſatione diſcreta; iuſtoq; libramine diuitum iuxta ac pauperum tractans cauſas atq; iudicia, ad quorum ſinceriorem deciſionem, ſi quid difficilius iudicandum occurriſſet, Prælatos & Canonicos Eccleſiæ ſuæ, doctrinâ & vſu peritiores adhibebat. Semper ſe exhibens humilem, ſemper benignum, ſemper mitem, ſemper modeſtum, ſemper dulcem, ſemper amabilem, & ab omni parte vno & eodem tenore ſuauiter ſpirantem. Singularum Eccleſiarum ſibi & ſuæ Diæceſi ſubiectarum parochias, non per Archidiaconos & ſubſtitutas perſonas, ſed perſonaliter quotannis obibat, ſcrupuloſa indagine ſingula, & in Miniſtris Sacerdo-

cerdotibuſque, & in plebe perluſtrans & ſingulos exceſſus, deformitates, & vitia benigna ſedulitate corrigens, extirpans & ad recta transformans; & id quam maxime præuidens atq; præcauens, ne Sacerdotio & cura animarnm fungentes, fæminarum amplexibus & contubernijs fædarentur, ſed publicam & religioſam agerent vitam, in oculis Diuinæ Maieſtatis nitidam, & in conſpectu hominum exemplarem, ſciens facile Deum tranſgreſsionibus populi veniam daturum, & indignationem ſuam auerſurum, ſi ſacrificium illi, & pro peccatis populi hoſtias offerentium, grati forent vultus; vulgares verò populareſq; aſsiduâ doctrinâ, aſsidua exhortatione & exemplo ad fidei firmitatem, ad religionis, & caritatis augmentum, ad virtutes, bonoſq; mores ſectandos, ad animi cultum iugiter retinendum concitabat. Summa illi integritas, ſumma grauitas, ſumma vitæ moderatio, ſingularis quoq; cauta & ad omnem ſermonem accommodata ratio, vt nihil vnquam proferret vel leue, vel non plenum, vel non dignum ſummæ honeſtatis viro; humanitatem ciuilem, tam benignam in ſingulos effundens, vt omnium videretur communis parens. Ad hoc vnum incumbens, ad hoc intentus, vt prodeſſet quam plurimis. Quicquid otij à publicis priuatiſq; negotijs ſupereſſet, id totum aút obſecrationibus, aut ſacrarum literarum conferebat lectioni, die noctuq; orationibus vacans,

vacans, magnam de se castis mentibus dabat ædificationem. Animus illi in consulendo, in iudicando, in decernendo, liber ab omni ambitione, cupiditate vel liuore vacuus, & purus, omnium enim mortalium cupidinem de sede sui pectoris prorsus eliminauerat: Cura illi præcipua, ac familiaris fuit, oppressorum causas suscipere, ac tueri; solitus ferre oppresso refugium, defensionem infirmo, præsidium quantalibet calamitate concluso; vestis illius simplex, atq; neglecta omnem excludens fastum atq; nitorem, ad modestiæ composita cultum, & quæ contemptibilitatem, apud rudes & ignaros tantummodo excluderet: modestiam seruans in vultu & incessu, caritatem & grauitatem in sermone, & tenuitatem simplicitatem in vestitu, quorum luxu atq; splendore nostræ ætatis Pontifices atq; eorum exemplo inferioris ordinis Sacerdotes adeò præsumptuosè vti video, vt quodlibet purpuræ, pellium, & indumentorum genus (quod vix in Laicis tolerabile foret) non fastidiant; vestitum enim quærunt & deferunt, qui extollat magis; quàm contegat, non qui frigus à Corpore arceat, sed qui per mollitiem, & calorem luxuriet. Quibus vestibus Leuitarum genus & Pontificale amiciri, & contumeliam sapit in Deum, & impietatem in animam, obliti vt reor vltionis Diuinæ de Tullio Hostilio sumptæ, qui licet & Rex & gentilis, omnis quoq; nostræ Christianæ Religionis

expers

expers, cultibuſq; Idolorum deditus, quoniam primus purpuram inter mortales induerat, fulmine ictus cum omni domo exuſtus interijt, tam horrendo deletus fulmine, vt nec ſupremus honos ei à Romanis perſolui poſſet, cæleſti flamma in eam conditionem redactus, vt eoſdem penates, & Regiam & Regnum ac ſepulchrum haberet. Obliti & diuitis Epulonis quem veritas Euangelica quoniam byſſo & purpurâ indutus epulabatur ſplendidè, perpetuis cruciatibus apud inferos deputatum commemorat. Obliti & Apoſtolorum in quorum ſucceſſerunt locum, apud quos & in veſtitu & in habitu, nihil poterat notari nitidum, nihil molle, nihil nobile, nihil accuratum. Itaq; magis conueniret, vt viri Eccleſiaſtici ad cultum animæ, quàm corporis intenderent, & conarentur illam aſſidui facere pulchriorem, cum & in veteri lege, quamuis craſsiùs & carnaliùs tunc quodammodo humanum eruditetur genus, veſtium ornatus etiam ſæcularibus fuerat interdictus. Sed à narrationis digreſſus ſemitâ, meipſum reuocabo, & ad Staniſlaum noſtrum de quo mihi omnis præſens ſtylus ſuſceptus eſt, redeo: mores ſui, virtutis pleni, mira humilitate, manſuetudine, pietate, benignitate, ad omnem normam Euangelicæ perfectionis & doctrinæ compoſiti, quibus facilè in ſui corporis templo, Spiritui Sancto diuerſorium iucundum effecerat, ſpectabaturq; in eo

grata benignitas, accepta humilitas, conuerſatio manſueta, vita nitida & tam in verbis quam factis grauitas, mirificâ condita comitate Morem inſuper Beati Silueſtri Romani Pontificis imitatus, omnium viduarum ſuæ Diæceſis habebat nomina conſcripta, quibus & alijs quos egeſtate nouerat premi liberaliter, pro modulo facultatum, ſubueniebat; erga inopum, viduarum, & egenorum prouiſionem, non ſolùm mentis pietate, ſed etiam corporis labore ſolicitus. In quorum refectione, frequentiùs illum conſtabat excluſis ſeruitorum officijs, proprijs manibus ſingula cibi & potûs neceſſaria illis adminiſtraſſe, nuditates quoq; eorum nouo amictu texiſſe, panem egenis proprijs articulis fregiſſe, ollas eorum & calices diluiſſe, lauandorum pedum officium ſæpenumero adminiſtraſſe. Vulgarem Pontificum Poloniæ ædificantium Sion in ſanguinibus, & in cognatos fratres, conſanguineos, ac nepotes ditandos, patrimonium profundentium IESV Chriſti, deteſtatus viam, exquiſitiorem & perfectiorem deligebat, & Pontificales reditus in egenorum & viduarum ſumptus expendebat, paupertatiq́ue illarum conſulebat & pudori, pleræq́ue enim ex illis clandeſtina egeſtate eligebant affligi, quàm publicè ſtipem emendicando confundi. Ad omnium deniq; hominum in ſua Diæceſi conſiſtentium curam, ſalutem, & cuſtodiam vigilantem ſe paſtorem exercebat,

& circa gregis ſibi commiſsi cuſtodiam, ſolicitis excubijs ſuperintendens, id agebat, id prouidebat, id ſummoperè curabat, id operoſis exequebatur conatibus, vt pius quiſq; & religioſus ad ampliorem virtutis creſceret legem, & lapſus aut obſtinatus ad Regiam reuocaretur Caulam. Ampliſsimæ dignitatis & longe lateq; patentis Diæceſis rationem, non tantum pro rebus actis, ſed etiam pro neglectis & omiſsis, à iuſtiſsimo iudice (qui nequit falli) aſsiduè commemorans ſibi imminere. Geminarum volatum alarum tenens, & puritate mentis ferebatur per Contemplationem in Deum, & onere non deprimebatur ſæcularium curarum; à cunctis terrenis animo intimo ſuſpenſus contagijs. In executionem autem Pontificalis officij, ſic virtus Diuina illi viſa eſt aſtitiſſe, vt non in Prouincia ſolum Polonica, ſed in circumuicinis regionibus, clarus & celebris haberetur. Virtutum ſuarum aromata odore gratiſsimo per loca quam plurima diffundens, & tanquam Cedrus libani in Eccleſiæ paradiſo plantatus, altitudine contemplationis erectus, virtutum odore ſuauis, famæ ſinceritate, penitus incorruptâ, ob quæ officia ſingularis illi à popularibus iuxta ac Proceribus exhibebatur honos, qualem ante eum aſſequutus eſt nemo. Ad ignoſcendum iniurias & ad tolerandum facillimus. Nam cum quodam tempore, ab vno ſuæ Diæceſis militum Ioanne de Brze-

znica ad benedictionis munus Eccleſiæ ſuæ in pago Brzeznica impendendum, in præfatam illam conſecrationem peracturus adueniſſet, ab eodem milite ius hoſpitij violante, per iniuriam inde pulſus, & eiectus, nonnullis familiaribus & ſeruitoribus ſuis, crudeliter verberatis & cæſis, quaſi nihil iniuriæ perpeſſus tota alacritate in vicum (qui hactenus puſtynia dicitur) contendit, & noctis primas in fame, ſecundas verò in oratione, tenebras, cum ſacerdotibus & familiaribus ſuis, in prato villæ vicinæ exegit. Hac tantummodo voce, pro ignominioſa ſua excluſione & improperijs conuicijſq; (quibus illum Ioannes miles affecerat) imponendo illi, quòd ex patre ſortis tenuis, & picem braxare ac tractare ſolitæ, ortu eſſet contentus: quando (inquit) Domine deſtinato loco impendere benedictionem non ſum admiſſus, tu huic in quo conſiſto benedictionem largiaris; abinde loco nomen datum, appellationemq; Sancti prati in hunc vſq; diem ſortitur. Altero autem die Ioanne milite illuc adueniente, & reatum ſuum profundo profitente pudore, clementer & facilè pacifici pectoris lenitate, violationis ſuæ & ſuorum dedecus, ſingulaſq; iniurias ignouit & cum ſatis ſuperq; fuerit iniuriam remittere, adiecit etiam caritatem; aiens ſe contumelijs & improperijs non moueri ad iniuriam, ſed magis firmari ad caritatem. Villam Brzeznica à qua pridie contumeliosè excluſus

fuerat

fuerat repetens, & clementiæ potiùs quàm alicuius læsionis signa monstrans, opus dedicationis expleuit, ac iniuriam beneficio rependit : sciens sibi à conditione & sanctitate Pontificalis ordinis gloriam impositam esse ignoscendi. Sed nec tam clari facinoris quod & miles in Pontificem, & Pontifex in militem egit obliterari potuit conditio, locus in quem se Sanctus posteaquam Brzeznicâ eiectus fuerat, cum suis receperat, gratiâ Diuinâ non caruit, sed pluribus prodigijs ad inuocationem nominis viri Sancti effulsit; In diebus quoq; nostris maiori veneratione frequentari cæpit, dùm illum fidelium deuotio Sbignei Cardinalis & Episcopi Cracouiensis permissu, super ædificatâ in honorem & titulum Martyris Ecclesiâ (ad quàm Christi fidelium multitudo in vtroq; Pontificis festo concurrere solet, varia Martyris experta beneficia) contexit. Si quis autem Stanislai clementiã & facilitatem, & in prædicto opere,& in plurimis alijs,quoties vel iniuriam patiebatur, vel violabatur cum præsentis temporis moribus velit conferre, magnũ profectò discrimẽ inter vtraq; reperiet. In quo Pontifices si quando vel leui colliduntur offensa, non se solũ quod ipsum quoq; monstrosum est, præbent inexorabiles, sed omnium generum contra eos qui deliquerunt vltores congerunt. Stanislai nostri decus amplissimum est, qui maiora benignitatis & clementiæ, quàm iustitiæ & rigoris maluit monimenta reliquisse.

CAPVT VIII.

Boleslai Regis Poloniæ res gestæ & vitia.

DVm itaq; Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus cæleſtem in terris exercens vitam, Pontifex totus virgineus & ab incentiuæ carnis illecebris alienus, vigilanti & indefeſsâ curâ ſupra gregis ſibi commiſsi cuſtodiam, & erga omnem ſacerdotij curam diebus ac noctibus deſudaret, & non verbo tantum perfectæ doctrinæ, verum etiam in opere conſummatæ diſciplinæ virum ſe per omnia fide, ſcientiâ, & virtutibus Apoſtolicum demonſtraret, tale habens verbum, qualem vitam: ita vt nec doctrina deeſſet actioni, nec actio doctrinæ, ſed paribus paſsibus, quæ doceret, ageret, & quæ ageret doceret, atq; in caritate radicatus palmites ſacræ doctrinæ longe lateq; diffunderet, vitâ & facundiâ ſuâ erudiens plurimos, & conuerti faciens ad Dominum tranſgreſſores; & cum multos doceret verbis, tamen plures formabat exemplis; nihil imperans alijs, quòd non prius ipſe à ſe exegiſſet: dum inſuper reditus ſui Epiſcopatus circumſpectione prouida ad vbertatem altiorem redegiſſet, veteribuſq; fundis nouos per còémptionem adieciſſet, & in ſumma quiete, onera ſui Potificatus adminiſtraret; non tulit humani generis hoſtis infeſtus, ſeu tranquillitatem Eccleſiaſticam lætis creſcere ſucceſsibus ſeu Staniſlai

niſlai Pontificis virtutes & ſtudia abſq; liuore verſari; ſed aduerſus illum perſecutionem ſuſcitauit, cruciatu ingenti exardeſcens, eo quòd vir Dei Staniſlaus vitam per omnia ſectatus Apoſtolicam, multas & optimas in ſuorum ſubditorum pectoribus virtutes inſeruerit, in nonnullis vero deformitates vitiorum, & mores deprauatos còércuerit, plures inſuper ad religosè ſancteq; viuendum in ſtatu vtroque, Eccleſiaſtico videlicet & ſæculari formauerit exemplis; de qua quidem aduerſitate agemus in ſequentibus, poſtquam explicauerimus aliqua, ſine quibus ordo narrandorum ad liquidum non poſſet dignoſci. Præerat ea tempeſtate apud Polonos rerum ſummæ (vt in ſuperioribus abundè tetigimus) Boleſlaus Polonorum Rex, paterna, auita, & proauita ſucceſsione lineari, & directa regnum adeptus; huius quidem nominis ſecundus, ſed in ordine ex quo Polonorum res ad Regum iura, beneficio Otthonis Imperatoris tertij conuerſæ, ſunt quartus, Rex. Vir dexteritatis ſingularis, & raræ, propagandæ patriæ & belli ſtudioſus, rei quoq; militaris, armorum & equitandi peritus: qui propitiâ vſus fortunâ quæcunq; incepta eius mirificè ſecundante, clara & inſignia facinora ediderat, qui Pannoniorum Ruthenorumq; populos ſibi & Regno ſuo conterminos, aliquot prælijs fuderat; Caſtris quoq; exuens opima ſpolia aut in milites diſtribuerat, aut in patriam retu-

lerat,

lerat, qui Pannonicos Duces Geyßsam Vladiſlaum, & Lampertum, propinqua ſibi cognatione iunctos, & à Salomone Hunnorum Rege ob inuidiam dominationis pulſos, benigna humanitate apud ſe in Polonia tractatos, in ſedes ſuas, præſentia corporali, & armata manu, reſtituerat, & inter eos atq; Salomonem Regem æquis conditionibus pacem compoſuerat, qui monaſterium in Mogilno Diæceſis Gneznenſis de Ordine Sancti Benedicti, (amplam dotem illi largiens) fundauerat. Qui Zaſlaum Kijouiæ & Ruſsiæ Ducem à Wijßoſlao Polocenſium Duce, ex Kijouienſi ſede deturbatum, traductum vſq; Kijouiam, Polonico exercitu, ſedi ſuæ & fortunis omnibus reddiderat. In quo etſi lucebant virtutes non vulgares, ſed Regiæ, ingens inprimis vt præſcripſimus liberalitas, qua adeò excelluit, vt in largitionis genere omnes ante ſe non tantummodo Reges, ſed etiam Principes Polonorum facilè euinceret, vſu armorum ſtrenuus, velox corpore & ingenio vafer, laboribus vltra fidem patiens, Cibi & potus, ad naturam moderatus illi vſus, frigoris iuxta atq; inediæ patientia, etiam in quouis gregario milite admiranda. Commiſeratio & humanitas in aduenas & calamitoſos. Grauitas inſuper & magnanimitas perrara. Quærentium & adeuntium ſe facilitas. Has tamen virtutes vitijs obſcurabat, crudelitate videlicet & tyrannide. Innocentium expilatione, faſtu, &

ſtu, & ſuperbiâ, laſciuiâ atq; lubricitate; ſupra cæteros ſiquidem homines in venerem ſumptuoſus, & effuſus, in virgines continentes, & matronas malè temperatus; delictorum acerrimus punitor; Carnis illum ac libidinis conſtabat eſſe ſectatorem; præbebat & aſſentatoribus credulas aures, & præcipitem ſe interdum in ſupplicijs præſtandis agebat; iracundiæ furores, virtutibus & vitijs permiſcens, donec à virtutibus in vitia deflecteret penitùs. Sed Regis de quo nunc agimus non eſt inſtitutum ſingula in vtramuis partem proſequi facinora, memor ea & alio in loco me largiùs perſcripſiſſe, præſertim cum alijs aſſumpti operis libeat potiùs, vacare negotijs.

CAPVT IX.

S. Stanislaus Regem commonet factorum.

ANnus iam ſextus in Pontificatu Staniſlai Cracouienſi protendebatur, dum regnum Polonicum & in Religione floreret, & in ſua Republica amplitudinem diffunderet; ecce inuidia & ardor, Sathanæ proſperitatis eius curſum præcipitaturus, illud ſuis flexuoſis callidiſq; ingenijs impetere, turbareq; aggreſſus eſt. & quò pernicioſiùs ruinam illi texeret, nocendi artifex, & ſubdolus hoſtis, à vertice orſus, faciliùs inferiora quaſſaturus, Regem Boleſlaum in Cracouienſem Epiſcopum Staniſlaum varios per Mæan-

dros concitauit, præfatus ſiquidem Boleſlaus Polonorum Rex in rerum omnium abundantia, indulgentiùs regia educatus in aula, & ſucceſſuum felicitate elatus, lætiſque & ad voluntatem ſuam fluentibus rebus modum negans, ad explendas ſuas libidines procliuior, intemperantior ferebatur : vxore ſiquidem parùm contentus legitima, ad virgines & matronas ingenuas, & quarum illum, ſpecies capiebat & forma, animum adiecit ; frequentiùſq; turpi earum deteſtando vſus contubernio, proſtitutas & inceſtatas reliquit : & primum quidem hæc clàm agens, occulere ſuæ libidinis facinora atque celare conabatur, nondum ſiquidem omnem pudorem à ſe viſus erat relegaſſe ; deinde mole carnis in peſſum ruens, non vno genere libidinis contentus, aſsiduis gradibus ferebatur in præceps : Deo quoq; neglecto, qui illi famoſas victorias contulerat, & humanâ reuerentiâ repudiatâ, greſſus ſuos (per licentiæ campos late vagatus) à recto alienauit. Nutabant Polonici Pontifices, nutabant Regij Confeſſores, nutabant & amici & Corporijs Regij cuſtodes, ſed & ipſe quoq; Polonicæ Eccleſiæ vertex & Primas Gneznenſis Metropolitanus, ijſdem fluctibus, ijſdem nodis tenebatur : omnium quidem peruaſerat pectora pauor, & pari atque vno de reprehendendo Rege diſtinebantur reſpectu ; ne videlicet aut temporaria amitterent bona, aut tyrannicæ crudelitatis experi-

perírentur cruciatus. Quæ itaq; ſinguli Pontifices varia acti trepiditatione vel cauſa proloqui recuſarent, ſolus Staniſlaus apertè in Regem, (deſidias molles, & marcida luxûs otia ſectantem,) & in reliquos ſuæ libinis & factionum miniſtros promouebat. Solus Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus vtriuſq; conſiderationis obice calcato, Euangelicum in Rege exequi pergit intrepidus præceptum, & Rege in thalami ſecreto conuento, omnibus arbitris excluſis, in quam fædum, in quam abominabile vitium Rex prolapſus ſit, quantæ & quales de illo per omnes omnium ordinum homines, ſugillationes ſerantur, quibus quoq; Rex perſtringatur maledictis atq; exſecrationibus, edicit, rogans & obteſtans, vt impetum effrenatæ libidinis còèrceat, vt paſsiones comprimat, vt ſorte proprij matrimonij vſus, cæterorum puritatem & nitorem infuſcare ne audeat: ſin ſecus agere pergat, ſciat ſe Diuinitati facturum Contumeliam, hominibus quoq; non ferendam iniuriam, & tam ſe quam regnum ſuum, tranſactaque trophæa dedecoraturum: recordaretur beneficiorum Dei multiplicium, per quæ ab humili ſorte ad præſentem gloriam atq; ſubſtantiam peruenisſet, neq; ſe Deo præſtaret ingratum; quòd ſi Diuinis non moueretur, decus ſaltem Regium illis contaminandum vitijs conſpiceret, & cum ſumma ſibi præſtari vellet, conuenire, vt ſumma omnia ipſe quoque

de se præstet. Se & salute, & honore, & caritate Regis tractum, in admonendo eo (cæteris musitantibus) priores partes assumpsisse, præter amorem ingenitum, etiam officij sui Pontificalis necessitudine constrictum: proinde attenderet Rex, ad quam lubricum callem prolapsus sit, seipsumq; ex illa deprauatione reuocet, & saluti suæ subditorumq; ipsemet consulat, priusquam Diuina feriatur vltione: Solere scelus hoc animabus iuxta atq; Corporibus pernicie inferre, neq; illo desinere, quo cæperit gradu; sed multas comites & administras contrahere vitiositates, præcipitemque casum reperire; quæ omnia euidentibus veteris Testamenti, nonnullis, quoq; tempore gratiæ gestis confirmabat exemplis. Rex etsi bilem haud exiguam mente hausisset, conditione tamen Pontificis, à quo admonebatur, euocata in memoriam (sciens Stanislaum venerandis pollere actionibus, & sanctitatis & Religionis fulgore insignem, & Iustitiæ præcipuum cultorem, nec suis terroribus cessurum) iram omnem compressit, & fucatis quibusdam excusationibus adductis, facinus suum adumbrare contendit, & Episcopo benignè pro tempore (quamuis constabat illum alia animo gessisse atq; voluisse) respondit: at ea iterum Episcopus replicans, quæcunq; Rex in sui purgationem dixerat, refellit; atq; in mansuetudine Spiritûs verba facit, animam Regis si illis acquiescendum duxisset, Saluatura.

CA-

CAPVT X.

Raptus Christinæ Coniugis Mieczislai Buzenij à Rege factus.

QVamuis autem viro Dei Stanislao Cracouiensi Episcopo se benignitate paterna admonenti, seruauerit Boleslaus Polonorum Rex reuerentiam & honestatem, nedum illum aliquo graui violauerit verbo, sed nec inclementi quidem compellauerit, non tam Pontificalis in eo reueritus status dignitatem, quàm Religionis & vitæ præeminentiam; quàm etiam constat sæpe feras & bestias rationis cuiuslibet expertes, nutu Dei admiratas, & veneratas esse: omnes tamen illum saluberrimæ (posteaquàm Stanislaus ab eo discedebat) correctiones destituebant. Sed & si quando ex reprehensione Pontificis aliqua contritionis in mente Regia oriebatur seges, ea tamen citius delectatione Carnali dissipabatur. Subibatq; nonnunquam animum suaptè superbum grauis Cholera & indignatio, quòd tam frequenti & rigido obrutus fuerit (pro sua æstimatione) ab eo sermone, & quòd cæteris omnibus silentibus Stanislaus Episcopus admonitionis munus sibi vendicauerit, & parum maturam reprehensionem occupauerit; nec excellentiæ nec potentiæ Regiæ rationem habuerit, propter quam sibi Rex multò grauiora licitura credebat; his quoq; querelis, & hac indigna-

tione non tacitus vtebatur, ſed amicorum quoq; & Cuſtodum corporis aures illis fatigabat, ſolita vanitate purpuratis, tumorem ſuum augentibus, & mulcentibus, (quàm æquius extenuare debuerant) indignationem. Ex quibus omnibus in Staniſlaum Epiſcopum nubilo indignationis malè exagitatus recrudeſcebat animus Regius. In venerem quoq; magis vetitam facibus libidinis vrebatur, potiorem habens, ſalute & honore iram, & ſuæ illecebram voluptatis; libidinis quippe factus ſeruus pietatem cuſtodire noluit. Erat ea tempeſtate militi Miecziſlao de Buzenin in ora partium terræ Siradienſis vxor Chriſtina nomine, raram habens Corporis formam, & quæ cæteras fæminas facile decore anteiret: ad fotmæ verò elegantiam etiam mores blandi, facundia quoq; gracilis acceſſerant, quibus plures mortales ſe aſpicientes & adeuntes velut quodam hamo arripiebat: Cum itaq; ad notitiam quoq; Boleſlai Poloniæ Regis vulgata mulieris pulchritudo plurimorum teſtimonio lenocinante perlata foret, videndi illam & quæ fama detulerat coràm experiendi Regi ſubrepſit nemini Sobria cupido. Quæſita itaq; cauſæ temporiſq; opportunitate & repertâ, mulierem adit, cuius illico pulchritudine & alloquij ſuauitate captus, & illaqueatus eſt. Mulieriſq; victa admiratione libido Regis parum iam ſuas cupiditates frenantis, rurſum ſe erigens, maioribus flam-

mis

mis æſtuabat expugnare, quàm mulieris pudicitiam eſt adortus, exiſtimans ſuam formam & pulchritudinem more ingenij muliebris facile licitaturam, largitione illam primum auri, gemmarumq; & vnionum, quibus flagrare muliebris conditionis ſolet ambitio, itemq; promiſsis varijs & terroribus alijſq; eiuſce generis blandimentis conatur perfringere, ſed ſingulis (quæ facinoris explendi gratia ſuperaddebantur ſolicitudini & impenſæ) recidentibus ad irritum. Miles ſiquidem Miecziſlaus, non ignarus exquiſitis donationibus & ingenijs vxoris Criſtinæ pudicitiam ad proſtituendum quæri, ad cuſtodiam & conſeruationem illius, curam quoq; omnem & ſolicitudinem (honeſtati ſuæ & coniugis, liberorumq; Communium proſpecturus) intenderat: verum cum Rex in dies maiori pungeretur aculeo libidinis, amorem defeneratus mulieris, & explere illum niſi vi deſperaret, potentia pro iure vſus, mittit militum & clientum haud contemnendam cateruam, qui ædem in qua mulier domicilium habere conſueuerat, irrumpentes, mulierem à legitimo viro (indignitatem & magnitudinem iniuriæ nequicquam querente & eiulante) abſtrahunt, & in Regiam perducunt. quàm Rex non ſecus quam libidinoſo & lubrico homini conueniens erat, auida voluptate excipiens, illam extunc & de cætero ſuis profanis amplexibus, & inceſtuoſa pactione coniunxit,

& pro

& pro concubina vſus, etiam prolem ex illa ſuſcepit: flagitium autem & raptus & inceſtuoſi concubitus (quod Rex patrauerat) vltionis Diuinæ verbere ſolidiori mulctatum eſt, poſtquam humano nequiuit ferri aut reſcindi: omnem enim ſobolem ex huiuſmodi adulterino connubio ſuſceptam, quàm Rex agrorum & villarum poſſeſsionibus locupletare moliebatur, tremor primum membrorum in virili ætate, corui quoq; naſi deformitas, deinde alienatio ſenſus, & dementia mentis, dum ſenior obueniſſet ætas, occupabat. Eratq; hic morbus per Iuſtitiam Dei inflictus, non his tantum nodo, qui tunc per inceſtuoſam commixtionem geniti ſunt, ſed & vniuerſis qui ſtirpem huiuſmodi parte ex aliqua contigiſſent, hereditarius, per omnes ſucceſsiones (poſteaquam Rex ſcelere ſe huiuſmodi inquinauerat) vſq; ad noſtra tempora deriuatus, vt ſatis ſtupenda & pertimeſcenda ſit Diuinæ Iuſtitiæ animaduerſio quam non per generationes tantũmodo, ſed ætates in deteſtationẽ Regij criminis, videmus produci & continuari. Sed & nõ parũ incoñodi atq; infelicitatis Boleſlaus Rex (quod non repente iniquitas ſua punita fuerit) videtur conſecutus, cũ ex protelatione vindictæ maiorẽ ſibi ſtrueret perficiendæ locum tranſgreſsionis, & in Deum audaciæ, adulteria impundentiùs exercens, & conſequendæ vltionis Diuinæ, quàm nemo mortaliũ ſcitus eſt contumacia & improbo auſu, ſed humiliatione & pœnitudine euaſiſſe, materiã accumulans. C A-

CAPVT XI.

Archi-Epiſcopus cum alijs Epiſcopis refugiunt monere Regem.

MOuit ſingulos Polonorum Proceres facinoris in rapta & inceſtata militis Miecziſlai conſorte Criſtina per Regem admiſsi indignitas; clandeſtinis igitur querelarum ingeminationibus (cum nec muſsitare quidem tyrannide Regis conſtricti auderent) magnitudinem iniuriæ depromebant, veriti immunitatem exſecrandæ Regalis libidinis, ad ſe ſuaſq; natas, coniuges, & affines (niſi reſtricta & inhibita aliquo antidoto fuerit) quandoq; penetraturam, & ſimilia regem in ſe auſurum. Fungebatur ea tempeſtate in Gneznenſi Eccleſia Metropolitana, dignitate & Pontificali Sacerdotio Petrus, (qui Stephano immediato ſuo prædeceſſore diem obeunte ad Regimen Gneznenſis Eccleſiæ fuerat ſurrogatus) vir in ſacris eruditus literis, & tam Religione, quàm vitâ & conuerſatione inſignis, tranquillitatis quidem tempore, gubernandi peritus. Ingruente verò tempeſtate parùm animi, parum fortitudinis habiturus. Is etſi non à Proceribus ſolum, ſed à pleriſq; Eccleſiaſticis & timoratis viris, quorum zelus Dei, pectora tetigerat, frequenti monitione vrgeretur, vt quoniam primam ſedem in Polonica Eccleſia ſortiretur, principalius quoq; illum reprehenſio illa pro-

pterea quod in Diæceſi ſua crimen raptûs commiſſum eſſet videatur depoſcere : primus ergo in aciem prodiret & Boleſlai Regis facinori ſuam reprehenſionem, reſiſtentiamq; primus opponeret, neq; iura coniugalia profanari ſineret. Verum etſi Archiepiſcopus Petrus monitoribus aſſentiretur, cunctatorem tamen ſe magis quam reprehenſorem (animum pauore obſidente) egit. Præerat etiam tunc Vratiſlauienſi plebi & vrbi Epiſcopus Petrus, in quâ Boleſlaus Rex magis peculiarem ſibi & aſsiduam manſionem & ſedem delegerat; Regebat Poznanienſem Thomas, Wladiſlauienſem Honoldus, Płocenſem Lupus, Chełmenſem Martinus, Lubucenſem Laurentius, Camienenſem Stephanus, Eccleſias, qui & ipſi rogati vt vires ſuas & operas ad corripiendum Regem mouerent, publicoque facinori obuiam irent, nihilo ſe plus animi ſuo Metropolitano, in ſcelere reſcindendo, habere demonſtrarunt, tyrannidis non ſe auſi exponere pelago, periculorum veriti diſcrimina. In hunc igitur agonem, & in eam palæſtram ſolum Staniſlaum Cracouienſem Epiſcopum deſtinabant, in vnoq; illo omne correptionis robur locabant, illum eſſe vnum quem Regem conſtabat vereri, & erga quem ſe Rex indulgentius gerere conſueſſet, illi & feruoris & Religionis & animi ad reprehenſionis munus in Rege implendum ſatis eſſe, in illum non auſurum Regem quidquam triſte committere; in cæ-

teros

teros ſi reprehendere eum pergant; graui tyrannide, & ſæuitia debachaturum. Erat enim Staniſlaus Epiſcopus idoneus, ad pudorem incutiendum, & ad auertendum Regem à prauis actionibus, cum eſſet ſermonibus caſtis & Conſilijs ſapientibus inſignis, operibus quoq; glorioſis admirandis, & non tam æuo quam moribus Senex, atq; ſacerdotali officio. Non erat cuipiam incognitum, quàm Staniſlaus Epiſcopus præclaro genere ortus fuerit, quàm ſubtilis & vehemens Inſtructor, quàm prouidus conſiliarius, quàm iuſtus Iudex, quam caſtus presbyter, quam Sanctus & amabilis Epiſcopus, quam verax & incorruptus reprehenſor.

CAPVT XII.

S. Stanislaus coarguit Regem cum comminatione.

SIngulis Eccleſiæ Polonicæ Epiſcopis corripere Regem recuſantibus, & ſuper impoſita ori manu, & labiorum ſuorum ianuas taciturnitate & metu concludentibus, extrema deniq; ſibi imminere pro reprehenſione portendentibus, in Staniſlaum Cracouienſem Epiſcopum omnium omnis fiducia verſa eſt, quòd caſtimoniâ ſui ac puritate vitæ, cæleſtiq; conuerſationis gloriâ ſingulariq; doctrina, ſapientia, & fide, operibus quoq; Sanctis velut luminare magnum ſuo ſplendore vniuerſam Poloniam illuſtraret. Nec ſuſtinuit Præſul ille celeberrimus plurimorum Eccleſiaſtici &

ſæcularis ordinis virorum, ob eam rem ſe adeuntium ingeſtas frequenti numero preces, ſed vnuerſali flagitatione & conſenſu ſibi id muneris officium intelligens delegatum, licet infuſum in ſe odium Regis ſenſiſſet, ad explendum illud intrepidus ſe accinxit, obſecrationibus tamen in Deum, & ſacrificiorum holocauſtis, primùm vtendum ratus, plures dies atq; noctes illis inſumpſit. In oratione meliora credens conſiſtere arma quam in virtute, deprecans & Regem adulterino inceſtu ſolui, & ſibi ea reprehenſionis verba quæ in ſalutem Regis & compunctionem verterentur præſtari. Heliæ itaq; Prophetæ & Ioannis Baptiſtæ æmulatus tam conſtantiã quam virtutem, ſcienſq; ea ſe neceſsitate ex officio Pontificali conſtrictum, vt non peccantes modo, ſed & peccare geſtientes cohibeat, virtutis Apoſtolicæ ſectatus menſuram, Regem adit, & perſonis de ſtatu vtroq; in rem adhibitis coram Aulæ cubicularijs in Rege inceſtum reprehendit, verbaq; in hunc „ modum apud Regem facit. Cum olim te Rex, plu„ rimaſq; tranſgreſsiones tuas, & Carnales illecebras „ (quibus Maieſtatis tuę vehementer obſuſcabatur cul„ men) deponere, & torum tuum loris conſtringere „ pudicitiæ exhortarer, maxima me cæperat fiducia, „ ex tuæ modeſtæ reſponſionis reſpectu iniecta, ſingu„ la (pro quibus à me argutus es) prona emendaturum „ deuotione, & in frugem vitæ nitidioris, atq; pudicæ

euaſu-

euaſurum. Nunc quod non ſine acerbitate ſpiritus„ commemoro, video te prioribus malis grauiùs adieciſſe facinus. Et impios concubitus (rapta militi Mſcziſlao Conſorte, Regaliq́; grauitate prorſus abiecta) admiſcuiſſe, nefandæ quoq́; laxaſſe frena libidinis, quàm te ego arbitrabar, vt tuo & noſtro communi pudori conſultum foret, opportunè oppreſſurum. Age ſi tu omnium noſtrum Rex & ſummi Regis in terris imago, in hæc tam obſcena vitia prouolueris, quem ſubditorum tuorum pigebit ea non ſectari? cum hæc ſit populorum omnium natura, vt quidquid à Præſidibus agi viderint, in id ſint & ipſi prompti & præcipites. Iter cænoſum quo graderis, laqueis refertum eſt, tribuliſq́; conſertum, inexitiabile diſcrimen, niſi te reuocaueris adducturum. Ingemiſce itaq́; ô Rex! & facinus tuum aſsiduo comploratu dilue, & raptam viro ſuo redde, atq́; Zonâ continentiæ lumbos conſtringe, ne Diuinam & humanam contra te, prouoces cenſuram, ne cum his qui in barathrum (vnde nunquam excident) lapſi, æternum mereare conſortium. Talis profectò (in rapiendo & inceſtando ſponſam alterius) turpitudo eſt apud te excellentiæ tantæ Regem, vt nec nominanda ſit, multiplici tamen re quàm exemplo, proinde ſecuta, & ſecutura deformitate penſata, ſic nec à me, quem ſpeculatorem licet immeritum tuæ domus, tuæq́; perſonæ atq́; ſtatus, Dominus conſtituit, poterit ſileri;

quoniam si denuntiatio mea (vt à via tua peruersa, Deo & hominibus odibili, reuertaris) quieuerit, sanguinem tuum scio iuxta scripturæ testimonium de meis manibus requirendum: Sed non solum Pontificalis officij debitum ad te admonendum me impulit, quinimò & caritatis sinceritas, & tuæ salutis tuiq; honoris peculiaris solicitudo me adduxit, ne in eo peccandi genere te irreprehensum sinerem, ex quo tam tibi quam regno tuo singularem perniciem imminere perspiciebam. Nulla enim est de virtutibus tuis ô Rex! propter quam sis à Deo magnificandus, & in qua tu gloriari æquè possis, quàm continentia, atq; temperantia libidinum. Nullum scelus tibi (propter quod sis deprimendus) fædius, carnali luxu. Summo opere itaq; caue ne multa bona & pulcherrimam animæ tuæ speciem vno vitio deformes, & actiones tuas meritorias vna præuaricatione corrumpas, specioſa Regiminis tui exterminaturus principia. Nemo est crede mihi ex militibus & subditis tuis, qui tranquillus scelus tuum ferat, qui in te probra non spargat, qui per te ius coniugale, ius Catholicum, immò gentium ius violatum non queratur, vnius militis iniuriam, suam omnes ducunt. Non est tuæ Magnitudinis, subditos opprimere, flagitijs diffluere venereis, inquinari sordibus adulterinis: linque quæso hæc turpia & obscæna, etiã in vili & barbaro homine detestanda, Insidiosam luxu-

riem,

riem, blandum malum, cor tuum & Corpus à tot illecebris emunda: dignaq; pœnitudine iram Dei præueniens, vltioni quoq; te subtrahe fututæ; multa tua decora breui delectatione auersurus: Si destiteris, incremento prosperitatis continuæ regnum tuum, & solium diffusurus, & virtutibus potius quæ excellentiæ tuæ congruunt, incumbe, quæ possint te & statum tuum ad salutem & honestatem dirigere, vitæq; Christianæ perfectionem. Noueris me habiturum rationem & mei muneris, & tui criminis, gladium quoq; contra te pœnæ Ecclesiasticæ, si perseuerandum duxeris in scelere, exserturum.

CAPVT XIII.

Rex admonitione S. Stanislai effereſcit.

His & pluribus alijs dum à Præsule Stanislao Rex Boleslaus benigne & nobiliter commonitus fuisset, in præcipitem iram actus, nihil comiter, nihil modestè respondit, sed vehementiæ inflatus spiritu, spirans ferociâ, & furenti persimilis, ferociùs quam Regi conueniebat in virum Dei reprehensorem suum inuectus est, pluribus quoq; contumelijs vsus, rusticano illum & humili ortum genere, & tam Sacerdotio, quàm Pontificio asserebat indignum, multiplici quoque & vana sua temeritate meritum, qui ex Præsulatu in bestiarum & scrofarum detruderetur pasturam, percepturus illic erudi-

eruditionem, quis metus, quæ reuerentia, quis honos Regibus debeat impendi, vt ad deterrendum quoq; à simili temeritate cæteros, documentum existeret futurum. Hæc Regi tam voce quam vultu minaci de promenti. Stanislaus ab amore veræ caritatis recedere etiam læsus nescius, in admonendo Rege metu quolibet circumscripto, constans perstitit, & pectus patientiæ Clypeo coarmans, tumidæ elationis instar, Regi loqui nobili illa sua qua pollebat facundia adiecit. Caue inquit Rex ne ex pertinacia & obstinatione conuellas reprehensionem meam, & quæ tuæ salutis, & quæ mei iuris sunt, immò & quæ amoris ergò ingessi tibi, abunde (vt reor) tuæ salutis & honoris obseruans, accuratiore methodo in tui reprehensione quam cæteris vsus sum, & forsan rigidiore, quia salutem tuam iuxta ac perniciem cum multorum tibi parentium video esse coniunctam. Et cum in singulis hominibus insidiosa luxuries turpis sit, in summi tamen imperij administratione, qua polles turpissima: de malo non inte solum, sed in plures grassante; tecum loquor remediaq; ingero; gratulaturus saluti tuæ immò publicæ si acquieueris, meæ itidem, obsecrans vt benignitatem Diuinam non irrites, & deprauata meliorib⁹ officijs superes. Noui fateor tui Culminis eminentiam, à singulis tuis subditis, a me quoq; & colendam & honorandam esse. Noui plane quid tuæ & Regiæ

debea-

debeatur venerationi: nec in his exequendis aliquid à me reor, vel diminutum tibi, vel præreptum. Verum Apoſtolica (quâ ego præditus ſum) ſuperior multis gradibus, poteſtate Regia cenſenda à te procul dubio, & æſtimanda eſt. Et ſi vtriuſq; ingenuè noſſe velis efficaciam, & virtutem, quanto lunaris ſplendor ad ſolare iubar, & plumbi ſpecies ad auri fulgorem habetur inferior, tantum Regia dignitas, ſi ad Apoſtolicam iuſta comparatione illam referas: nihil eſt itaq; quod de me iuſtè queri poſsis. Superni Rectoris (cuius incomprehenſibilis eſt ſapientiæ) id geritur ordinatione. Vt Reges & Principes, & quantumcunq; perſonæ ſublimes, præceptis & imperijs Pontificum, etiam de obſcura ſorte ortorum auſcultent. Tu quidem ſi Regiam tuam conditionem attendis, ſi Deum metuis, ſi homines vereris, ſi quâ ſalutis tuæ moueris curâ, multùm mihi debes, quòd veriora potius quam ſpecioſa, ſalutem primùm, deinde honorem tuum ſeruantia, audire ex me cæpiſti, diuturnius imperium, fidelius obſequium, placatiorem Deum, ſecundiores ſucceſſus, feliciorem conſummationem, ſi monitis meis parueris, habiturus. Et quamuis æquis auribus Pontifex Staniſlaus velut communis libertatis & iurium coniugalium acerrimus vindex fuiſſet auditus, eius quoq; cohortatio cum immenſo omnium fauore, & non aſſenſus modo, ſed & vocis expreſsione fuerit à cir-

cumſtantibus excepta, vt prudentiam ſuam mirarentur plurimi, probarent vniuerſi. Regis tamen animum lubrica volnptate obſeſſum, & ſui boni parùm prouidum, parùm cautum, mouere & ad meliorem mentem pertrahere non poterat: qui ex thalamo in quo confederat, præcipiti motu (odij & rancoris ſuccenſus igne) ſe euoluens, & tum ſapienter, tum benigne incantantis illum Epiſcopi Staniſlai ampliores voces, (in morem aſpidis ſurdæ) abhorreſcens, exilit, ſe graui & enormi læſum à Staniſlao Epiſcopo querens dedecore, & conteſtans ſe iureiurando quam primùm de Staniſlao Epiſcopo omni conatu niſuque vltionem ſumpturum: omnibus itaq; modis quærere calumniarum & grauaminum machinas aduerſus eum parabat ex ira verò regia in Epiſcopum concepta, etiam inſultatio in illum maligna ſerpere cæpit inuidorum.

CAPVT XIV.

Rex concitat nepotes Petri de Piotrawin villa quaſi iniquo iure Eccleſiæ Cracouienſi per S. Staniſlaum addicta, atq; poſſeſſa.

EXquirenti Boleſlao Regi & aſsidua tam Conſultatione quam indagine cum purpuratis ſuis & cuſtodibus corporis inueſtiganti, quonam modo & ordine de Staniſlao Cracouienſi Epiſcopo atrocior quam pro merito caperetur vindicta, cum nulla ſatis digna propoſito

posito exequendo coaptari posset, quamuis plures proponerentur viæ, nihil quippe Staniſlao Epiſcopo (pro vitæ ſanctimonia, & conuerſationis integritate, morumq; norma) obyci poterat; dum veris illum Rex (velut caſte & innocenter ſingula agentem) poſſe ſe opprimere deſperaret, iudicijs calumnioſis vtendum ratus eſt; & Regis perſonâ depoſitâ, hoſtiſq; indutâ, nodum quærens in ſcirpo, omnibus modis illum grauare conſtituit. hæc autem animo & cogitatione Regi voluenti, & propoſitum ſuum executioni mandare æſtuanti; leuis quædam occaſio, ſed quam Rex non ſecus quàm grandem accepit, oblata eſt. Staniſlaus ſiquidem Epiſcopus ſui Epiſcopatus Cracouienſis ampliaturus reditus, & talentum acceptum iuſto fenore relaturus in lucrum, vt ab æterno Rege (à quo hæc diſpenſanda acceperat) velut fidelis ſeruus mereretur commendari, & decadi vrbium præferri, villam Piotrawin ad vndas fluminis Viſtulæ, & intra ſuæ terminos Diæceſis, in Regione (quæ à veteribus Zawichoſtenſis, à præſentibus Lublinenſis appellatur) ſitam, apud Petrum militem, villæ eiuſdem vnicum hæredem, pro certa argenti quantitate, plenariè illi ſolutâ, in perpetuam ſortem Eccleſiæ Cracouienſis còémerat. Contractui & emptioni atq; ſatisfactioni, ne inficiari vel calumniari, aut à quoquam in dubium reuocari quomodolibet poſſet, teſtes legitimos & omnem celebri-

tatem, qua hereditatum emptio & resignatio apud Polonos ea tempestate gerebatur adhibuerat, in villæ quoq; à se tunc emptæ missus fuit Regia auctoritate possessionem, quàm etiam triennio iam propè elapso scitus erat pacificè & absque omni cuiuslibet personæ impedimento possedisse. Verum quia Petrus miles præfatus post venditionem villæ huiusmodi, & contractum cum Stanislao Episcopo initum, breui tempore viuens diem obierat, & ad Ecclesiam Parochialem in Piatrowin sub honore S. Thomæ Apostoli fundatam acceperat sepulturam, nepotes eius germanos Petrum, Iacobum, & Sulislaum ad quos præfatæ villæ Piotrawin (si illam patruus eorum Petrus miles venditione perpetua non alienasset) deuoluenda fuerat successio, ad impetendum Stanislaum Episcopum pro villa Piotrawin (spondens illis facilem victoriam) pellicit Rex & coarmat, rem vulgatam & notissimam in contentionem adduci præcipiens, Iustitiam Stanislai Epicopi & suæ Cracouiensis Ecclesiæ, autoritate & sufftagio Regio oppressurus; offerens se singulos testes, ex quibus Stanislai Episcopi pendebat victoria, à ferendi testimonij officio deterriturum, & omni ope atq; suffragio pro deijciendo Stanislao Episcopo ex villa Piotrawin, & in eorum transferendo proprietatem adnisurum. Amore villæ & lucri, Petrus, Iacobus, & Sulislaus nepotes Petri militis illecebra deuicti, in rem calumniosam & iniusti-

iniuſtitiæ plenam conſentiunt, ſe Epiſcopum Staniſlaum pro villa Piotrawin deuouent vexaturos; ab eo itaq; tempore Petrus, Iacobus, Suliſlaus nepotes Petri militis, & ſuam expleturi auaritiam & Regis odio morem geſturi, Staniſlao Cracouienſi Epiſcopo iniuſtam litem pro villa Piotrawin mouent, & ad Regium Tribunal illum pertrahunt, diemq; dicunt, aſſerentes illum villam Piotrowin (ſucceſsione legitima ad eos deuolutam) fide mala poſsidere, calumnioſis commentis, & regia tyrannide, terram venditam à ſorte Cracouienſis Eccleſiæ per nefas abſtracturi. Ex quo manifeſtè conijci poteſt & Regem & Petri militis nepotes præfatos, terrenos & paſsionatos extitiſſe, & de terra per iniquitatem agere, & omnipotentis Dei iuſtitiam, quæ de cælis venit, & calumniam proximo inferre, reſque illius non appetere vetuit, ignorare.

CAPVT XV.

S. Stanislaus ad Regis Iudicium citatus ad oppidum Solec comparet.

APpetebat iudicij dies generalis quod comitiorum apud Polonos appellari ſolet, in quo Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus pro hereditate, Piotrawin citatus comparere, & nepotibus Petri militis, Iacobo Petro & Sulislao eum vexantibus reſpondere apud Tribunalia Regia debuerat. Neq; enim fas eſt à deciſorio

Comitiorum generalium termino se subducere, vel illum negligere, cuius apud illos habetur tam sacrosancta auctoritas, & potestas, vt à definitiua Comitiali quantumcunq; iniqua & iniusta sententia, licitum non sit cuiquam prouocare, vbi præcisis singularium iudiciorum decretis ius Polonicum causas tractare, & decidere consueuit. Mos præterea vetusto tempore apud illos seruatus obtinuerat, vt comitiorum iudicia, quæ nonnulli vocant magna, non in vrbibus aut vicis, sed in pratis quæ siluas & vndas haberent, proximas gererentur, quatenus magnæ multitudini (quæ illuc ad petendum iura conueniebat, & sub Papilionibus, aut tabernaculis, pluribus diebus, & donec expeditio omnium causarum præueniret, degere cogebantur) pro ignium alimento, & equo pecoriq; pascendo, suppeditata habentur materia. Solus verò Rex aut Princeps præsidebat iudicio, solus litigantium decidebat causas, cuius arbitria pro legibus erant, dudum tamen is mos seruatus est, Polonis cùm mitiora ac ciuiliora sunt ingenia, leges quoq; municipales in scriptum redactæ, quibus reguntur iudicia Comitialia & quæuis alia iudicia ex Campis & arbustis in vrbes redacta. Sed hæc hactenus de Polonorum iudicijs. Nunc ad rem nostram, gratia cuius hæc scripsimus, redeamus. Boleslaus itaq; Polonorum Rex hunc priscum morem secutus pro celebrando generali seu Comitiali iudicio,

Siluam

Siluam pratis plenam prope arcem Regiam & oppidum Solec ſitam, inſulæ formam habentem, (duo enim fluuij, Visla & Crampa, & nonnullæ lacunæ illam ambiunt) delegit, locum ad expediendum iudiciorum munus opportunum & idoneum, germen, & ligna abundè ſuppeditaturum. In hunc quoq; & vicinarum regionum milites & quoslibet iudicia depoſcentes iuſsit conuenire. Coactus eſt & Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus ad illud idem iudicium accedere, proxima enim eſt loco villa Piotrawin, pro qua impetebatur, alueo tantummodo fluminis Visla (qui in illa ora aquis exuſſerat) & modico terreſtri ſpatio à Tribunalibus ſecreta. Venit itaq; illuc vir rectus & ſimplex, omnium quæ contra eum Regis callidìtas fabricauerat commentorum ignarus, ſperans & ex manifeſta Iuſtitia & teſtium deductione (qui ad rem planè recognoſcendam ſe ſibi ſpoponderant, fore morigeros) facilem triumphum de impetitoribus relaturum: Præſidebat in eo iudicio Boleslaus Rex perſonali præſentia, non enim illius generis iudicium alium quam Pricipem admittebat pro Præſide, quæ poteſtas iam in Palatinos Prouinciarum (qui Principum & funguntur & honorantur vice) eſt translata. Inſtaurato itaq; iudicio & purpuratorum ordine in dextera læuaq; Regis conſiſtente, cauſa primum Stanislai Cracouienſis Epiſcopi agi cæpta eſt. Cumq; actores per querelam deponerent, Stanislaum

Epiſco-

Epiſcopum villam Piotrawin morte Petri militis patrui eorum germani ad ſe iure hereditario deuolutam iniuſte occupaſſe, petentes illum ab illius poſſeſsione amoueri, & ſibi illam velut legitimis heredibus reddi, Stanislaus Epiſcopus reſpondendo venditionem & emptionem legitimè cum Petro milite, dum adhuc viueret celebratam, plenariam quoq; ſatisfactionem æris conuenti oppoſuit. Actoribus verò & venditionem conſtanter inficiantibus, obtulit ſe Stanislaus Epiſcopus contractum teſtibus idoneis & omni exceptione maioribus probaturum, in eamq; ſententiam decreto Regis facile admiſſus, teſtes apud Tribunalia Regis recitat, & ſe illos ſi ab actoribus nihil amplius contra obiectum fuerit, obligat producturum. At teſtes deferendo teſtimonio à Stanislao Epiſcopo ſolicitati, auerſari illicò requiſitionem Epiſcopalem, & ſuam ſponſionem irritare cæperunt, metus ſiquidem Regius illos conſtrinxerat, paſſuros extrema ſi profiteri veritatem auſi forent ita enim denuntiatum ipſis erat. Prolixa proinde apud illos & quemlibet eorum Stanislaus Epiſcopus prece & perſuaſione vſus, formidinem quæ pectora eorum ſemel peruaſerat, excutere non potuit. Quid quæſo hi in dolore pænarum feciſſent, qui veritatem abſconderunt propter ſolas minas verborum. Vergebat in occiduum dies, & totius cauſæ Epiſcopalis periclitatio prope horam niſi teſtes conſignati

pro-

producerentur imminebat. Ceperat & aduerſarios Epiſcopi haud tenuis vincendi fiducia & exultare triumpho de obtento videbantur, eadem quoq; Regem hilaritas habebat, quàm & geſtu proferre viſus eſt & vultu. Cumq; cauſa præter ſpem procederet & malignitatis calumnia potiùs quam iutis & luſtitiæ æquitas valuiſſet. Stanislaus Epiſcopus militibus, qui ſuæ iuſtiſsimæ cauſæ laturos ſe teſtimonium ſpoponderant, necquicquam imploratis, coarctatum ſe & cauſam ſuam periclitari videns, quid ageret, quod conſilium caperet, quem Patronum imploraret, quibuſue vijs & ingenijs nodos & caſſes impietatis ſibi inſtructos diſſolueret, minus perſpectum habebat, ancipitiq; animo apud ſe fluctuans, vſq; ad vultus ſuffuſionem notabatur ab intuentibus mutatus; fidei tamen & ſpei ſublimitate vrgens, quæ tum illi non defuit, ad ſolita arma ſe conuertit, & orationi aliquanto tempore incumbens, omnem ſuam fiduciam in Diuino poſuit præſidio, non dubitans ſe & cauſam ſuam à calumnioſis nexibus, ſuffragio cæleſti abſoluendam. Tandem Spiritu Sancto qui in ſuo cariſsimo puriſsimoq; pectore aſsiduum ſibi domicilium extruxerat inſpiratus, ſolerti vel potius Diuina ratione, rem nouam & incredibilem in ſuæ cauſæ defenſionem polliceri auſus eſt, miraculi ſtuporiſq; pleniſsimam, plus forſitan ex imbecillitate credentium apud poſteros admirationis habituram,

quàm fidei; Ad conſpectum Regis & eius Tribunalia (cum vel teſtes nominatos producere, vel ſententiam contra ſe latam audire vrgerent) lætus & Diuinum neſcio quid in vultu præferens acceſsit, & magnitudinem fidei fiduciæq; veritatis coarmans pectus, his verbis Regem & vniuerſum ſuum Concilium conuenit. Quandoquidem inquit nihil opis, nihil præſidij, in viuentibus eſt quando apud Filios hominum pro luſtitia impietas, pro veritate iniquitas, pro rectitudine ſucceſsit calumniandi malignitas, ego me ad æquiſsimum iudicem Deum cuius rectitudo luſtitiæ, nec terrore cuiuſquam poterit auerti, nec ſubtilitate calumniarum confundi, conuertam, veritatemq; in terris conculcatam & oppreſſam, mihi è cælo præſtari petam, & quod non poteram à viuis teſtimonium, mutuabo à mortuis, & Petrum militem Principalem villæ meæ Piotrawin venditorem, quamuis ante triennium ex conditione viuentium ſubtractum pro aperienda cauſa meæ luſtitiæ, me poſt triduum producturum obligo, ceſſurus ex cauſa niſi produxero. Veritatis teſtimonium petitum ab inferis, cum inter viuos (ex pauoris nebula humanis ſenſibus ſuperfuſa) veritatem deperiſſe videam, confidens cauſam meam liuore deprauatam humano, à ſuperis erigi poſſe & illuſtrari. Stupentibus cunctis & admiratione ingenti attonitis mentibus, ad tam audacis animi, vel, (vt veriùs loquar)

quar) tam perfectæ fidei virtutem. Impotentia ad hæc exoluenda fidei diſcuſſa res, apud vniuerſos in riſum verſa eſt, nec vlla facti huius deferebatur fides, exiſtimantibus illis vt erat Epiſcopum Staniſlaum, parùm poſsibilem rem, & difficillimam pro certa & comperta ſpopondiſſe, pluribus cachinnis & contemptibus Epiſcopum non ſecus quàm delirum, & mentis ac cerebri parùm ſani hominem inceſſere: pleriq; tamen ex illis magis ſenſati magiſq; religioſi rurſus rimari ac conſiderare ceperunt. Nec Staniſlaum Epiſcopum pro morum ſuorum grauitate fallere, aut cum quocunq; agere leuiter, conſueſſe, nec quod implere non poſsit, vnquam pollicitum tam ſolenni ſtipulatione fuiſſe. Hærebant itaq; & inter ſpem metumq; conſternatos gerebant animos in quem finem promiſsio Stanislai Epiſcopi ventura foret & quis dictorum huiuſmodi euentus fieret, varios inter ſe condendo ſermones tertium opperiebantur diem. Rex etenim Boleslaus promiſsi difficultate penſata, & quo iuſtiorem contra Epiſcopum (conditione non extante) ſententiam proferret, inducias quas Stanislaus Epiſcopus petierat in triduum conceſsit, exiſtimans cadauer Petri militis qui triennali (vt præmiſimus iam diem obierat) temporis emenſo curriculo reſuſcitari non poſſe.

CAPVT XIV.

Petrus de Piotrawin mortuus reſuſcitatur, Regiq; præſentatus vindicat à calumnijs S. Stanislaum.

TRium dierum ad ſtatuendum principalem venditorem Petrum militem impetratis inducijs, Stanislaus Epiſcopus, cum Clericis & paucis quibuſdam Laicis à Concilio digreſſus in Piotrawin ſe contulit villam, centum paſsibus circiter à iudicij diſtantem loco, & triduanum omnibus indicens ieiunium, ipſe quoq; ſacrificijs cilicina veſte ad carnem indutus, cum Canonicis & Sacerdotibus perdius incumbebat, pernox vero ad Altare proſtratus, per iuges obſecrationes Deum ſibi & Eccleſiæ ſuæ efficiebat per multos lacrymarum imbres defenſorem, ratus contra impetuoſos furores Regis, & ad implendum quod ſpoponderat, non alia tela & præſidia efficaciora, rogans & obſecrans vt conuerteretur ſpiritus mortui, & homo viuens Petrus miles dudum mortuus redderetur, certiſsima quoque geſtans ſpe, Diuinam virtutem & gratiam in tam anguſtis, & (vt communis habebat aſſertio) deſperatis rebus, non ſe & cauſam ſuam, atq; Eccleſiæ ſuæ, quoquo modo deſerturam, perſuadens Clero ſuo pauido & vacillanti, non ea modo quæ roganda aſſumpſerat, ſed his maiora ſi fidem inſtar grani ſinapis habuerint, facile apud clementiam Diuinam obtenturos;

nutare

nutare enim illum viderat, propter excellentiam ſponſionis. Adueniente tandem die Stanislaus Epiſcopus Diuina re ex more peracta, præſente populi & nonnullorum militarium multitudine, quæ partim ad contemplandum quibus Staniſlaus actionibus vteretur, & in quem exitum ſponſio ſua euaſura foret, confluxerat, ad mauſoleum Petri militis, cum Miniſtrorum Sacri Ordinis & turbæ frequentia, proceſsionaliter Clericorum ordine illum præcedente & ſubſequente, Pontificali veſte amictus acceſsit, & primum illud ſabulo leuari & donec ad cadauer Petri militis triennio putreſcens penetratum foret, nudari & aperiri iuſsit: quo detecto cadauer Petri militis offendit ſqualido ſitu neruis defluentibus, carne & cute diſſoluta, in cineres & puluerem fere redactum, & niſi recentes teſtes, qui illum ſepelierant, qui iuſta funeri perſoluerant, affuiſſent, niſi nota fuiſſet omnibus Petri militis ante triennium celebrata ſepultura, niſi ſingularis illi & nulli alteri cum illo communis adaptata fuiſſet tumba, nemo illic cadauer Petri militis quieſcere recognouiſſet, ſed omnibus claro teſtimonio illic Petrum ſepultum fuiſſe declarantibus, Staniſlaus Pontifex cum fiducia eleuato ad Deum animo, poſitis genibus procumbens, orationem ad omnipotentem Dominum quem etiam ſibi familiarem, & ſuæ cauſæ propitium fore perſenſerat, rigato vultu fletibus, defixis in cælum

luminibus hæc verba profudit. Clementiſsime ac miſericordiſsime omnium Deus, Domine IESV Chriſte cui omnia ſubijciuntur & viuunt, & cuius virtute cuncta ex nihilo condita ſubſiſtunt, qui Chirographum letale humani generis aboliturus, de cælo deſcendens, ad terras Archiſynagogi filiam, adoleſcentem viduæ filium, & quatriduanum fætentem Lazarum verbo virtutis tuæ reuocaſti ad vitam, & credentibus creditu-riſq; in te fidelibus, parem & maiorem virtutem, te largiturum verbo nunquam mutabili ſpopondiſti, aſpice de excelſo ſolio gloriæ tuæ ad preces, gemitus, & fletus ſupplicum tuorum, & multiplici benignitate tua quam etiam præſtare ſoles immeritis, concede vt Petrus miles laturus teſtimonium iuſtitiæ & veritati à mortuis conſurgat, & verax teſtis aſsiſtat, atq; cauſam Eccleſiæ meæ, quàm in tuo nomine defendendam ſuſcepi, reuocatus tuæ brachio potentiæ in vitam illuſtret atq; à malignitate vindicet humana, vt promiſſa tua verificentur, in cunctis generationibus & nationibus, & nomen tuum magnum & tremendum glorificetur in ſæcula. Cumq; ab vniuerſo Clero & populorum cætu reſponſum eſſet, amen: ad tumulum accedens, & cadauer Petri militis contingens, ait. In nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti, & in virtute Benedictæ & indiuiduæ Trinitatis, iubeo Petre, vt conſurgas de puluere, exurgas à mortuis feraſq; veritati

à filijs

à filijs hominum proſtitutæ & deſertæ teſtimonium, quatenus augeatur, fides credentium, & corripiatur improba temeritas oppugnantium veritatem. Exaudiuit autem Dominus labia Sancta, annuens precibus prodeuntibus à lingua immaculata, & confirmauit Staniſlai Epiſcopi vota preceſque & operibus illum ſibi amabilem & glorioſum oſtendit: nulla dilatio interuenit, nulla mora diſſolutum retinuit, ad vocem Pontificis in Nomine Domini I E S V Chriſti iubentis & Spiritus in corpus, & oſſa redijt, & virtus Diuina cinerem in carnem redegit, & rediuiuum corpus ex terrena ariditate membrorum lineamentis compoſitum ſuccreuit. Petruſq; miles ſeparata ante triennium mente animatus, quaſi è leuiſsimo ſomno, corpore vt ante integro conſurgens, & ex monumento egrediens viuus conſtitit, primuſq; apud Polonos Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi virtutem & Sanctitatem in eam diem latentem, inſigniuit, & quanti meriti apud Deum extiterit, prior omnium ei materiam & teſtimonium tulit. Cui vir Dei Staniſlaus manum porrigens & ſtupente aſtantium multitudine ac magna vociferatione opera Dei afferente, primum ad altare maius celebrans Deo ampliſsimas gratiarum actiones, deinde ad Concilium regium multitudine illum frequenti proſequente chlamyde circumamictum deduxit, ſponſionemq; ſuam non verbo tenus, ſed opere monſtrauit,

& tam Regem quam Satrapas ſuæ ſponſionis ſpectatores effecit, quos irriſores pertulerat. Neq; Boleſlaus Rex ab incredulitate reſuſcitationis Petri ad relationem militum (qui circa ſuſcitationem conſtiterant) reduci niſi viſo Petro milite, poterat, qui non ſatis auribus credens, oculis iudicium permiſit, ad quem videndum omnis multitudo, quæ ex inſigni miraculo ſtuporem & admirationem induerat, ex papilionibus & ſtatiuis operibus etiam quibuslibet deſertis, certatim effuſa confluxit, incredibili viſendi Petri militis ſtudio excita, & quoad potuit in rediuiuum hominem, intuitum omnem defigens, nouæ viſionis nouiq; miraculi perfruebatur voluptate. Conſiſtens autem Staniſlaus Epiſcopus ad Regis Tribunalia cum teſte ſuo Petro milite, in hunc modum ad Regem, militum Corona, illum circumſtante & ad proceres verba fecit. En inquit principalem venditorem villæ Piotrawin Petrum ô Rex ſiſto. En adeſt viuus non præſtigijs, ſed virtute Diuina ex mortuis teſtimonium laturus veritati conſurgere iuſſus, perſonam ſuam vniuerſis qui adſunt notiſsimam eſſe non ambigo, ante triennium vobiſcum conuerſatam, nemo illum aut Spiritum aut Phantaſma eſſe exiſtimet, veri & viui hominis carnem, oſſa, viſum & quoslibet ſenſus habentis, hæc eſt effigies & imago, quod feliciter & promptè in quolibet addubitante poterit conuinci. Hunc ego & teſtem

per-

perpetuæ venditionis, & euictorem impedimenti mihi per liuorem moti pono. Altum poſt hæc in tabernaculo Regis aliorum alios intuentium ſilentium fuit, famoſiſsimum enim miraculi genus tam Regi Boleſlao quám ſuis proceribus grandem ſtuporem, & horrorem iniecerat, quo perculſi taciti & elingues neq; proloqui quidquam, ſed nec muſsitare auſi reſidebant, res etenim tam miranda quam inſperata, nec vnquam apud Polonos viſa, Diuina tantummodo adminiſtrata ope, cunctos in quandam extaſim verterat, Rex quoque & ſui Satrapæ admiratione diu aliquantò tenuêre ſilentium. Rupto tandem ſilentio Petrus miles in hæc prorupit verba. Ego inquit ad iuſsionem Diuinam & ad preces viri Beati Stanislai Cracouienſis Epiſcopi ſuſcitatus ab inferis, ad tuum tribunal ô Rex teſtis & Euictor venio. Clara & approbata voce profitens & conteſtans villam Piotrawin quondã Patrimonium meum, me viro Beato Stanislao Cracouienſi Epiſcopo, & ſuæ Eccleſiæ legitimo & perpetuo contractu vendidiſſe, & argentum de quo inter me, & virum Beatum Staniſlaum Epiſcopum conuentum erat ad integrum tuliſſe, & nepotes meos Petrum, Iacobum, & Sulislaum nihil iuris, nihil proprietatis, nihil deuolutionis in villagio illo habuiſſe, ac virum Dei Stanislaum Epiſcopum per ſcelus & iniquitatem vexaſſe. Ad nepotes deinde ſuos Petrum, Iacobum, & Sulislaum atq; con-

ſanguineos reliquos, (qui à teſtificando per terrorem Regis deſciuerant) conuerſus. Quis furor? inquit, quis auſus eam in vobis dementiam peperit? vt calumniando, & veritatem occulendo graui vos vtrinq; contaminaretis ſcelere, & viro Dei imponeretis neceſſitatem ſuo precatu me ab inferis reuocandi. Curate itaq; facinus veſtrum dignâ pœnitentiâ diluere, priuſquam per Iuſtitiam Dei in cruciatus teterrimos vobis propterea præparatos, (quos vobis à me viſos denuntio) recidatis, prædicens inſuper vtriſque, quòd niſi de his malis (quæ in Sanctum Dei egerant) dignam pœnitentiam & ſatisfactionem agerent, vltra æternum incendium egeſtatem ipſi, & genus eorum in præſenti vita, nullatenus forent euaſuri. Nihil ad ea nepotes & conſanguinei Petri militis reſpondere auſi, præuaricationis ſuæ facinus ſilentio profitebantur. Ab aſtante vero multitudine murmur inconditum, & diſſonum conſurgens, virum Dei Staniſlaum iniuſtè vexationem perpeſſum fuiſſe denotans, vexatores eius probris quatiebat, meruiſſe illos affirmans, vt pœna in calumniatores edita mulctarentur, documentum præſumptæ calumniæ futuros. Rex interea Boleslaus ſpiritu (quem formido incluſerat) vtcunq; reſumpto, & clariſsimo & euidenti teſtimonio accepto, miraculi inſuper magnitudine admonitus, cum & veritatis & luſtitiæ Stanislai Epiſcopi, ad liquidum conſcius ſuâpte

fieret

fieret definitiuam pro Stanislao Episcopo, ac sua Cracouiensi Ecclesia, non sine tamen grandi mentis suæ amaritudine & molestia, pronuntiat, & quem frustra nouerat accusari, Diuino primum & stupendo miraculo, deinde humano iudicio ingemiscebat absolui, nec causam Pontificis quam constituerat perdere audebat condemnare, auctoritatis Pontificalis deterritus pondere, & rari magnificiq; prodigij perculsus virtute, ac ipsum in præfatæ villæ Piotrawin, summo tam suo quam omnium aliorum assidentium consensu, & decreto reponere iubet possessionem, quæ in Ecclesiæ Cracouiensis etiam in hunc diem proprietate perdurat. Impetebatur autem Petrus miles (plurimorum sibi magis dum viueret familiaritate aut necessitudine aliqua coniunctorum) quæstiunculis & interrogationibus, ad quos parco & castigato, & non nisi ex permissu viri Dei Stanislai respondebat sermone: iniussu verò illius respondebat sibi fas non esse quidquam referre, atq; hoc modo variarum quæstionum nodos, vel dicendo quæ in rem erant, vel reticendo, absoluit.

CAPVT XVII.

Peracto Iudicio reducitur Petrus ad sepulchrum.

EXpedito in hunc quem præmisimus modum iudicio, & victoria de Auctoribus per glorioſum testimonium Petri militis relata, Staniſlaus Cracouiensis

Epiſcopus vir ſacerrimus in Piotrawin à Tribunalibus redit, & comitante illum omnium Polonorum, quæ ad iudicia expedienda conuenerat, multitudine, ita vt etiam nepotes Petri militis, Petrus, Iacobus, & Sulislaus, cæteri quoq; illorum adiutores, qui Epiſcopum Stanislaum pro villæ Piotrawin proprietate impetierant, ex accuſatoribus veneratores effecti, ſequerentur, & Rex pænè ſolus in tabernaculo deſertus remaneret teſtem ſuum & euictorem Petrum militem ad Eccleſiam Sancti Thomæ in Piotrawin terræ illum redditurus, & inferis, reducit, quem priuſquam in ſepulchrum ſuum pateretur ingredi huiuſcemodi conuenit ſermone: vis ne (inquit) Petre ſpatium huius terrenæ vitæ in aliquot annos protrahi aut aliquod aliud munus ſibi gratum à Domino meo IESV Chriſto precibus meis conferri. Cui miles non hanc inquit vitam quam morti magis quam vitæ me qui vtramq; expertus ſum conuenit poſtponere Pater Sancte, ſed eam in quâ Beati feliceſq; viſione Benedictæ Trinitatis fruuntur omni conatu expeto. Quamobrem permitte quæſo me inferos repetere, apud quos & ſe iuſtiſsima lege Dei, pro expiandis reatibus meis triennio iam acto, meritos cruciatus pertulerim; liberum tamen illis fore & pænis ſubducendum deputatis atq; in conſortium cælicolarum, non poſt longum tempus tranſuehendum propitiatione me ſperoDiuina.

Vnum

Vnum tuo ſupplicatu tuaq́; interceſsione mihi præſtari depoſco, vt tempus abſterſionis & purgatorij, qualecunq́; & quantumcunq́; illud eſt, aut in totum tuo precatu ſubmoueas, aut ſi id Diuina Iuſtitia, & mea ſcelera vetant, reſciſsius efficias, beatiſsimum munus in alterutrius impetratione (quamuis primum gratius foret) mihi præſtiturus. Annuente Staniſlao votis ſuis & ſe pro illius liberatione obſecrationes, hoſtias, & libamina oblaturum, iugi & fideli Sacrificio, pollicente intrauit Petrus miles ſepulchrum. Vbi corpore locato, animamq́; exhalante Staniſlaus Epiſcopus cum Clero & populo aſsiſtente, Pſalmis & orationibus ex traditione Catholica deuotiſsime ſuper commendatione animæ perſolutis tumulum Petri militis iacto ſabulo ex more compoſuit, qui apud nos in diem hodiernum, adminiſtrandæ Iuſtitiæ, & omni paſſioni & fauori vniuerſæq́; actioni mortali præferendæ ſempiternus cuſtos perſeuerat. In eo ſiquidem tam raro quam ſtupendo miraculo cognitum eſt, quantum fauorem Deus fidei, religioniſq́; ſuæ, excellentiæ tribuat, & quantum probatur iuſta amare, praua verò execrari iudicia, dùm triennem mortuum ad referendum vtriq́ue operi ſtupendia, imperauit conſurgere, quatenus ex mortuis viui diſcerent quantam debeant cauſis iuſtis ne calumnijs obruantur prouidentiam & cautelam adhibere: dextera ſiquidem Domini celeberri-

berrimam tunc oſtendit virtutem, & ſui fauoris accomodauit auxilium in re grandi & difficili, à qua humanam credulitatē videbat abhorrere, Confirmauit præterea futuræ reſurrectionis articulum, & eiuſdem reſurrectionis oſtendit certitudinem contriuitq; ambitionē ſortis ſuo nomini dicatæ impetitorum. Illuſtrata inſuper eſt eo ipſo prodigio noſtræ Chriſtianæ religionis, noſtræ Iuſtitiæ noſtri cultus, atq; fidei puriſsima ſinceritas, & per ſingularem vnius hominis ex mortuis reſurrectionem, futuræ noſtræ reſurrectionis, quàm fide integra profitemur, præmonſtrata ſunt trophæa & Catholica veritas effectu viſibili præguſtara. Quæ autem de reſuſcitatione triennali Petri militis à me narrantur, non in obſcuro geſta ſunt, ſed in publico, ſe d & in propatulo in magnæ multitudinis tam Eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium, qui hæc nobis tradiderunt, virorum conſpectu, teſtibus etiam ſolennibus & omni exceptione maioribus dum viri Sancti Canonizationis tractaretur negotium, apud examinatores explanata, vniuerſaq; Polonica Eccleſia huic adſtipulatur veritati, adſtipulantur loca in quibus & reſuſcitatio Petri militis, & iudicium Regium agebatur quæ vſq; in hæc tempora velut magnitudinem miraculi teſtantia, multum venerationis retinent, & frequenti populorum celebrantur concurſu, quorum alterum Beatæ memoriæ Sbigneus Cardinalis & Epi-

ſcopus

ſcopus Cracouienſis muro coctili, alterum fabricâ ligneâ ſuperædificatis pulcherrimis Eccleſijs inſigniuit. Adſtipulatur Petri militis ſepulchrum, cui Cardinalis ipſe ex ſimili muro Capellam ſuper impoſuit. Adſtipulatur & Catholica Eccleſia, quæ in generali Baſilienſi Concilio, contra quartum Huſsitarum hæreſeos articulum de temporalibus bonis ab Eccleſia reſcindendis, diſputans vitæ reſtitutionem & reſuſcitationem huiuſmodi inſigniter commemorat, eo inter alia vel maximè vſa argumento, quòd Beatus Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus occupationem villagij Eccleſiaſtici prohibiturus, triennem mortuum reſuſcitatum, duxerit in teſtimonium. Sic dogma illud peſtiferum cum ſuis iugulauit aſſertoribus.

CAPVT XVIII.

Ex fama Miraculi celebris vbiq; S. Stanislaus, vbi & veritas miraculi defenditur.

EX eo autem & deinceps tempore Beati viri Staniſlai nomen mactæ virtutis non apud Polonos ſolum, ſed & in vicinis Regionibus haberi cæptum eſt, & veri Apoſtolici ſeminis (vt erat) germen ab vniuerſis reputari, Deiq; omnipotentis clementia ex ſuo opere in grandem admirationem verti, qui tanto miraculo nulli alteri mortalium conceſſo, Staniſlaum Epiſcopum voluit eſſe conſpicuum. Erat in ore omniũ ac ſermone Sta-

Staniſlaus ſummas in eum laudes accumulantium qui-validum vitæ Fideiq́; ſuæ per reſuſcitationem Petri acceperant argumentū neq́; alius noblior neq́; celebrior inter Pontifices illo cenſebatur. Nemoq́; ex grauibus & eruditis viris erat, qui magnitudinem & calotem Fidei quæ in Staniſlao tunc præluxit, magna laude non extulerit, qui illum aſsiduis ſermonibus non celebrauerit, adeo vt magno domi foriſq́; habitus præconio, verè vir Sanctus, verè Apoſtolicus, verè Diuinus, verè in ſermone iuxta atq́; opere potens putaretur. Quid enim illo tempore in tota Polonica Eccleſia mirabilius, quid ſublimiùs, quid inſigniùs, quid magnificentiùs Staniſlao Epiſcopo Cracouienſi? qui hominem ante triennium reſolutum, tabe confectum, in cineres redactum, quòd mortalium pectora non ſolum credere, ſed nec ſuſpicari poterant conditionis quodammodo ſuæ oblitus, ſe in teſtem producturum adpromiſit. Ea nimirum fretus fide, quaſi in poteſtate ſua, in arbitrio vita, & mors conſiſterent, & crederet ſe effecturum per fidem, cui homines nullatenus aſſenſuros ſciebat per credulitatem, cui penetrabiles fuerunt inferi, clauſtra Acherontica peruia, qui quantæ fuerit ſublimitatis, quantæ innocentiæ quanti meriti, tum primum quamuis diu in ſua ſimplicitate, & humilitate latebat, oſtendit. Plurima inſuper alia per illum miracula conſtat operatum Deum, ſubijciendo illi

do illi dæmones & variarum infirmitatum condonando ſanitates. Solet autem à nonnullis huius temporis fidem fluxam & ambiguam habentibus, & qui non credunt omnia in virtute Dei poſsibilia eſſe credentibus, miraculi à Beato viro Stanislao (in Petri militis triennio in funere iacentis reſuſcitatione) editi, magnitudo in dubium reuocari, ad quam vacillationem diuturnitate mouentur temporis, & raritate exempli, cum nullus vel ſaltem rarus Sanctorum legatur, tam longi temporis mortuo vitam dediſſe, & cauſa propter quam tam admirandi prodigij concederetur effectus minùs ardua & ſufficiens, & quæ cum fidei cauſis quas illuſtrari inſolitis dignatur Diuinitas miraculis, nihil habeat commune, ſed ad temporalium duntaxat conſeruationem pertinere videatur, verum facile hæ eorum oppoſitiones refelli, frangi, & extenuari poſſunt. Non enim propter vnius villæ vt male ſe garrire ſenſu non verentur conſeruationem, ſed in magnum fidei Sanctæ, & Religionis orthodoxæ, quàm Polonorum gens (Ruthenorum & barbarorum artibus Septennio imbuta) faſtidire, & oſtentui habere cæperat, augmentum, & robur ſempiternum, vt Poloni, qui nunquam in ſe & maioribus ſuis ſigna viderant, in ſemel fide accepta, viſo tanto miraculo, in ſuam etiam poſteritatem viridi ſemper memoria traducendo, Diuina propitiatio præſenti & futuræ eorum imbecillitati, (ne in

aliquas ſuperſtitiones, hæreſes, & ſchiſmata delabatur) benignâ prouidentiâ conſulens, creditur, ſtupendum, & in ſolitum miraculum Beato viro Staniſlao quem in vita & poſt mortem, æquè magnis inſignem uniuerſo orbi demonſtrare diſponebat, quaſi quendam ſuæ futuræ gloriæ arrabonem conceſsiſſe. Sed nec diuturnitas temporis triennalis, & miraculi (vt aiunt) ſine exemplo patrati, eos poteſt mouere magnitudo, Deus quippe noſter & Dominus IESVS Chriſtus, qui primus ad immortalitatem Corpus ſuum excitauit, reſurrectionem omnibus communem eſſe tribuit, apud quem nihil intereſt, nunc an die nouiſsimo, totum corpus hominis per elementa diffuſum ac diſſeminatum, non in amplius aliquid, ſed in menſuram ſuam reſurgat, ad quam cunctationem, vel verius incredulitatem iugulandam amputandamque, duo ſimillima exhibebimus miracula, quæ ſanè ingrati & increduli cuiuslibet perfidiam ſoluere poſſunt, admonereque, corpora lapſa, & in morte ſoluta, reſurgere. Imperator Romanorum Traianus gentilis ipſe & barbarus, ſanguinis inſuper Chriſtiani fuſor prodigus, fideique Catholicæ & Religionis noſtræ perſecutor acerrimus & hoſtis. Ad Beatiſsimi Gregorij Papæ Romani preces, propter vnius viduæ virtutes contra filium ipſius Traiani querulantis, adminiſtratione Iuſtitiæ non poſt triennium ſolum, ſed annis plusquàm

qua-

quadringentis, mortuus, corpore quoq; per singula membra putrefacto, & vsq; ad puluerem (Sola lingua excepta) redacto legitur suscitatus. Caput præterea humanum integrum (vt Petrus de Palude scribit) Viennæ Galliarum ciuitate à fodientibus altiùs terram, repertum. Et quoniam in qualibet parte neruis & ossibus nudatum esset, labia tamen retineret carnea & rubra, mysterium latens habere creditum ad Episcopum loci perlatum, & cuiusnam caput foret quæue causa in omnibus locis carne & cute spoliatum, labia tantummodo carnea & punicea retineret, per Episcopum adiuratum, se esse & fuisse vnius Saraceni, in fide Mahometi mortui caput respondit. Et quoniam in gente sua, dum viueret, iudicis officio fungeretur, nunquam quoq; de labijs suis iniquum iudicium prodijsset, carnem roseam in labijs, Diuina miseratio cui semper Iustitiæ cultus fuit, placidissimum obsequium quoadusq; in Nomine Sanctæ Benedictæq; Trinitatis baptiser donauit retinere. Quo audito Wiennensis Episcopus, aquam afferri iubens, caput Saraceni taliter Diuina propitiatione loquentis. In Patris & Filij & Spiritus Sancti nomine baptisauit, è vestigioq; baptismo percepto, in cineres vna cum labijs vt sermonis sui euidens proueniret efficacia solutum est. Ex quibus & pluribus alijs vulgata experientia compertum est quod diligentibus singula peruia sint, singula

facillima, nullumq; miraculum, nullumq; beneficium virtute Diuina, ad eorum postulata præstandum, putari debet incredibile. Sed quid mirum & incredibile apud fidelium mentes censeri debet, si resurrectionem quam in se Redemptor noster ostendit, in Petro quoq; milite post triennium monstrauit, in genere humano illam vniuersaliter in fine sæculi quod ex Catholica Fide didicimus, & firmissime credimus monstraturus. Neq; enim Deus qui transiturus ad Patrem potestatem maiora signa quam quæ ipse egerat, sequacibus suis operandi tradidit, aut fidei virtutem in Pontificis pectore vigentem, negligere voluit, aut Iustitiam à calumnia pessundari tulit.

CAPVT XIX.

Boleslai Regis relapsus in vitia.

QVieuerat post tempore aliquanto Regius contra Stanislaum furor, Rex quippe magnitudine miraculi à viro Beato in resuscitatione Petri militis ostensi deterritus, & ferociam & choleram dudum aduersus Episcopum conceptam coactus est deponere, nec in virum Dei meditari extrema sinebantur, verum hostis humani generis pacis æmulus, Zizaniæ seminator, quietem Regni Polonici & statum eius quassaturus, noua commenta turbationum conflauit. Interim equidem tempore procedente, cum Boleslaus Rex con-

contra Wſchewoldum Kijowienſem Principem & cæteros Ruſsiæ Duces arma aſſumpſiſſet, rebuſq; feliciter & victorioſe ab eo in Ruſsia geſtis, Metropolim Ruſsiæ, Kijowiam cum vniuerſis copijs adijſſet, atq; illic in omnium rerum abundantia (Ruthenorum ſiquidem Duces & Proceres officijs certando, tam obſequia quàm munera intenderant) hibernaſſet, militari diſciplina ſenſim labante. Poſtquam ab externis feriatum eſſet prælijs animum quoq; Regis maxima rerum commutatio inceſsit, quæ etiam militibus peſtiferum luxum infudit: vniuerſus enim Polonorum exercitus in varias voluptates, libidines, & vitia ſolutus, ſcortis, comeſſationibus vnguentis & balneis vacabat, omneſq; ſtatus & ordines facinus luxûs & intemperantiæ peruaſerat. Vt vitijs Ruthenorum victor Polonorum exercitus capi ſe & vinci ſineret. Neq; luxuriæ blandum malum mediocres & infimos ſed & ipſos quoq; Primores Polonorum Proceres comprehenderat Nam & ipſi quoq; formoſitate mulierum Regionis illius capti, etiam eorum conſuetudine detinebantur. Rex inſuper Polonorum Boleslaus illecebris actus & prioribus adulterijs ſuper omnia mala quæ egerat, ad tantæ diſſolutionis veniens cumulum affluere delicijs & in laſciuias non legibus tantum Diuinis prohibitas ſed natura ſolui, repugnantes Sodomorum Gomorthæorumq; genti configurari cæpit, & cum antea petulan-

ter ageret in occulto, abominandum luxum ſuum (laxatis habenis impudentiæ) publicare non erubuit in aperto. Satius itaq; fuerat neq; victoriam de Ruthenis tuliſſe, neq; illorum Regiones ſubiugaſſe quam à vitijs eorum quos armis vicerat, victum eſſe. Non tulit autem vltor omnium ſcelerum Deus, Boleslai Regis & ſui exercitus præuaricationes & impietates, ſed iuſtiſſima viciſſitudine animaduerſionem ſuam illis immiſit, bellandiq; ſecundos ſucceſſus, domeſtica interpellauit ſeditio: Coniuges namq; ſorores, & filiæ Procerum, militum Poloniæ, audientes maritos ſuos in conſuetudinem Ruthenicarum mulierum prolapſos eſſe, alios diem obijſſe, alios in conflictibus deſideratos fuiſſe, longa inſuper eorum expectatione feſſæ, pellicatus crimen, altero crimine vlturæ, omni reuerentia matronali abiecta, proprijs ſeruis coniugalem pudicitiam proſtituunt, & perinde ac ſi mariti earum redituri nunquam forent, ipſis nubunt, & maritorum ornamenta, fortunas, & opes in illos conferunt. Cæterarum mulierum pudicitia perſuaſione & violentia expugnabatur. Id malum dum frequenti nuntio apud aures exercitus Polonici percrebuiſſet magnus illico dolor in pectoribus ſingulorum exortus, primum in fremitum & indignationem, deinde in quandam furiam illos vertit; non ſecus etenim quam lymphatici per tabernacula ad ſeſe inuicem diſcurrentes,

ſuas

ſuas calamitates, acerbitate ingenti querebantur, atq; adeuntes Regem miſsionem precabantur, denuntiantes ſe rupturos imperium ni poſtulatis acquieſceret Rex. Manabat opinio quouis maior relatu, & à perterritis ſolicitiſq; omnia credebantur, quæ timebantur. Serpebat quoq; aſsiduè dolor & indignatio militum, quoniam triſtibus nuntijs rumor ſupra verum ſingula extollens quotidie grauius aliquid adfingebat. Itaq; nullâ militari diſciplinâ poterant, ſed nec caſtigatione Ducum in Caſtris contineri, ſed iniuſſu Regis, eo in hoſtili terra deſerto, maior pars exercitus in propria concito gradu defluxit, & partim arte & ingenio, partim vi aperta, ſeruos & adulteros opprimens de illis ſupplicia accepit, quaſdam etiam fæminas capite damnauit. Truculentior poſt hæc furor Bolesiai Regis, & in milites & in fæminas ſæuire, (nihil penſi, nihil habens moderati) cæpit ex obtentu nouæ fortunæ, & noui quod in Ruſsia acquiſierat ingenij, coortus, quòd ſe deſerto milites ab eo diſceſſerint, aſperiſq; moribus ſuperbiam & crudelitatem non ferendam coniunxit. Vnde non ſecus quam in transfugas in illos animaduerterit, & nonnullos qui transfugiendi principium fecerant, capite plectit, alios in carcerem trudit, aliorum bona publicat, mulieres (quibus mariti miſeratione moti pepercerant) ſingulari crudelitatis genere mulctat, quibus abiecto fetu ſeruili, catellos ad papillas

ſtupra

ſtupra ſeruilia vlciſci ſatagens applicat, indignas inquiens lactare prolem humanam, ſed caminam, quæ humanitatis oblitæ, illicitos concubitus legitimis prætulerant: nec iuuenili parcebat & infantili ætati, crudeliter abſq; miſerationis pietate rem exequebatur. In ſuos deniq; quam in hoſtes factus pernicioſior, conditionem matronalem noua & pluſquam inhumana pænè|adinuentione deturpans, inexorabilem ſe matronalis errati, & violatæ pudicitiæ acrem punitorem præſtabat. Nec in vna tantummodo ora, ſed per totum regnum diligenti nequitiâ, quæ Regis truculentia excogitauerat, gerebantur. Hæc cum per ſe deteſtabilia fierent omnibus tamen deteſtandis actionibus nihil deteſtabilius geri poterat, niſi quod Boleſlaus Poloniæ Rex vſurpatum in Ruſsia brutalem contra naturam vſum, auxiſſe, non remiſiſſe videbatur quem præſentis & tranſactæ fortunæ inflatum ſorte, Iuſtitiæ & rectitudinis cæperat obliuio lætis & ad voluntatem ſuam fluentibus rebus modum non interponenti, maius & pernicioſius periculum à teterrimo Sodomiæ vitio, quàm à circumuicinis hoſtibus impendebat qui ſuam horridam & abominandam libidinem in brutorum morem extendens à bellicis animum artibus ad ſordida quæq; & nefanda traducebat: maioremq; ex tunc habere cæpit voluptatis rationem quam honeſtatis aut virtutis.

CAPVT XX.

Plures S. Stanislai admonitiones peracerbè accipiuntur à Rege.

POstquam itaq; Boleslaus Rex Polonorum cupiditates suas palam soluens, naturæ lege contempta in illicitæ libidinis vias & passiones miserabiliter prorumpens, egregia quoq; facinora sua in vetitam lasciuiam superbiamq; non ferendam vertisset, Pontifici Cracouiensi Stanislao iam dudum ob vitæ integritatem candide, virtuosè & innocenter traductam, in cælestem & Diuinum transformato virum ampliandæ Sanctitatis, & promerendæ martyrij laureolæ seges, & materia præstita quatenus per prælium cum Rege ineundum, & cruciatus ab eo inferendos perinde atq; aurum in fornace examinandus probaretur, qui virtutum suarum odorem gratissimum non in ea tantummodo cui præfuerat Diæcesi, sed in vniuersa Polonica Ecclesia, & per loca plurima iam iamq; diffuderat. Singula autem quæ in Regis Boleslai reprehensionem administranda erant, maturato perfecturus opere, Gneznensi Metropolitano Petro primas reprehensionis partes in Regem relinquebat. Verum Regiæ tyrandi atq; in dies serpenti truculentiæ, & omnibus Poloniæ Pontificibus (qui tunc numero nouem fuere) refragatus est nullus, aliquantoq; tempore Archiepisco-

pali dignitati deferens à Rege corrigendo abſtinendum duxit: dùm verò vidiſſet illum ſegni indulgentia & metu, Regia diſsimulare facinora, Regem vero turpiſsimis voluptatibus magis magiſq; inſeruire, reprehenſionis officium per negligentiam Antiſtitis Gneznenſis Petri, ad ſe deuolutum intelligens, non amplius tolerandum putauit, ſed gregis & ſui & cæterarum Eccleſiarum Polonicarum ſcandala ſtrenuus Paſtor excluſurus conſurrexit, & virum ſe per omnia Apoſtolicum egit, veritus ne Diuinæ Iuſtitiæ (ſi diutius diſſimularet Regia facinora, & populorum oppreſsiones) in ſe ſententiam exciperet, ſi in defendenda religione & veritate, in liberando oppreſſo, in tollendo obſcæniſsimo ſcelere deſertorem ſe conſtitueret, & proditorem, totius Regni partes ipſius decretis ſciens turbatas, præcelſum equidem & arduum illud, periculiſq; plenum reprehenſionis iter, à debili animo & fide clauda adiri non poterat; magnâque, ſublimi & robuſtâ res illa indigebat animâ. Nouit enim conditor noſter quando perſecutionis procellam conſurgere permittat, & iuxta ineffabilem ſuam benignitatis prouidentiam, ſub eodem tempore Staniſlaum Pontificem & oriri, & in ſede Pontificali Cracouienſi præſidere diſpoſuit, pro defenſione vulgi imbecillis magno animo certaturum. Iam quidem Boleſlaus Rex relegata à ſe æquitate, iuſtitia, clementia atq; pudore, corruptæ

ruptæ viæ tramite incedens, ſingulis ſtatibus ſe onero-ſum præſtiterat, opprimens diuites, pauperes con-culcans, humilians nobiles, & aggrauans populares, frequentes ſubuectiones exigens, & tributa grauia im-ponens, bona Colonorum & fruges, ſuperba iactan-tia aut corripiens aut depaſcens. In id quoq; varieta-tis atque dementiæ peruenerat, vt ſe adeuntibus re-ſponſa nonniſi per nuntios & interpretes daret; ita de-bachatus tyrannide, vt ne ſpeciem quidem religionis Chriſtianæ ſeruare videretur, dedignatur iam de ſimpli-cibus cogitare tranſgreſsionibus, grandia quæq; & in Deum & in homines molitur. In quandam quoq; de-ſperationem & contemptū veniens & quaſi ex integro ſe præcipitio tradens, nulla ſe re inferiorem in flagitijs patiebatur, prauiſq; cupidinibus ad pernicioſam libi-dinem vetitæ turpitudinis defigens, pernicioſis vexa-batur affectibus, ſecundis elatus rebus, naturæ, di-gnitatis, & excellentiæ ſuæ oblitus, ad irroganda ſup-plicia vehemens & præceps eſſe cæperat, vt pleroſq; inauditos mulctaret exitio. Inter ipſa autem crude-litatis Regiæ facinora nulla erat muliebris infirmitatis miſeratio, nullus teneræ & infantilis ætatis reſpectus, ſæua & aſpera per lictores & Præfectos à Rege conſti-tutos in puerperas & lactantes executionis decreta edebantur, ex quibus omnibus numerus ſuas æru-mnas apud Staniſlaum Epiſcopum deponentium &

ipsum pro sua salute interpellantium multiplicabatur. Staniſlaus itaque Cracouienſis Epiſcopus impietatem Regiam videns in Diuinam & humanam graſſari offenſam, & per campos ſcelerum & per itinera ſibi & regno perniciem labemq; perpetuam allarura Regem diſcurrere. Tantam videns aſsidue malorum labem, tanta quotidie flagitia cumulari, ſic omnia confuſa, ſic omnia reſoluta, vt tabo peſsimo viderentur circumfuſa, Regios motus & factiones ad maiora ſenſim progreſſos, & progreſſuros fore. Conſiderans inſuper in reprehendendo Rege, in libertate Eccleſiaſtica, in iure Diuino & humano defendendo, comitem ſe habere neminem, ad Regem perſonaliter purus, & feruens Regis ſalutis amator, non minore ſpiritu iterum accedit, & exhortatione primum illum benigna deinde rehenſione increpat manſueta, animum Regium ex fortuna & rerum licentia tumentem, ſimpliciq; reprehenſione & placida ſperans ſe ſanaturum, obſecrat & obteſtatur vt obſcæniſsimam venerem, naturæ hoſtem relinquat, ne tam tetro facinore ſe de cætero contaminet, vt motus ſuos clementiæ virtute moderetur, vt matronarum execrandam contumeliam & catulorum lactationem contra ius faſq; impoſitam reſcindat: vt tributorum impoſitionem & ſubuectionum exactionem diſſoluat, vt in ſubditos manſuetudinem potius exerceat quam iram, vt Dei leges & naturæ pariter iura temerare

merare desinat: vt male conceptum retractet decretum, vt substantias quas per vim abstulit refundat vniuersis, & ne se cælestibus supra modum affluentibus beneficijs demonstret ingratum. His & pluribus alijs ab Episcopo Stanislao clementi & mitissimo alloquio Boleslaus Rex nobiliter commonitus, obstinata primum contentione suam de catulis institutionem defendit, asserens prostitutionem coniugalem non ea tantummodo quæ inferebatur pœna sed sæuiore & rigidiore mulctandam esse & se tramitem punitionis non excessisse. Verum Stanislao Episcopo replicante, & punitionem regiam ceu crudelitatem barbaricam differente, & ni summoueatur vllo pacto se eam toleraturum confirmante, atq; frequentius ostendente quantum Regis flagitia Diuinam exacerbent maiestatem, mox in bilem immensam, vt se habet Regum conditio, agi cæpit, fastuq; Regio atq; ira exasperatus, sanæ mentis inops salubria atq; meliora sentire non potuit. Reprehensionibus siquidem tam rigidis admoneri insuetus, indignior sibi Antistitis oratio visa est, quam quæ per Regias excipi deberet aures. Veritatis quoq; audiendæ insolens, vitijs tantummodo suis, & voluptatibus fauens, erga bona sua, erga regnum, erga Rempublicam, parum cautus, parum prouidus, irâ, furore, vehementiâ, atq; superbiâ pessimis consultoribus vtebatur. Multa tunc quoq; & suæ Regiæ,

& Pontificalis dignitatis oblitus, in Staniſlaum Epiſcopum ore procaci effudit improperia, & maledicta; plura effuſurus, niſi Staniſlaus Epiſcopus miram de ſe ſpirans manſuetudinem & patientiam, furoris eius aculeos habetaſſet cedens ſæpenumero regio tam liuori quam furori, ſperans ſe facile ſuperbam & accenſam mentem, ſua humilitate & modeſtia ſanaturum.

CAPVT XXI.

Admonet adhuc pluribus Regem S. Stanislaus.

IN deterius deinde aſsiduè proceſsit res, cæciſq; auſibus in exitialia, abrupta graſſabatur Regis impietas, & Regiæ omnes actiones, aut in ampliorem tyrannidem verſæ, aut in turpitudines abominandas appulſæ, paſsionumq; ſuarum alligatus vinctuſq; ferebatur infelicitate, nihilq; pudoris, nihil pænitudinis admonitus capiebat varijs alligans animum vinculis, vndiq; illi congregans nubes corporalium voluptatum, in iram procliuis ac libidinem, fædis voluptatibus dederat manus, magnitudo vt reor rerum & ad potiores quaſuis felicitates, animi conuerſio occaſionem præſtitit, & ſubminiſtrauit cauſam, quod Rex ad tam impias & ſceleſtas actiones conuerſus ſit, ſiue mortifero ad luxum inductus ingenio, ſiue fato maligno, à ſummo ad infimum velocius quàm aſcenderat relapſurus. Videns ſiquidem Boleslaus Rex non ſta-

tim

tim ſe pro ſuis facinoribus à Dei miſericordia percelli, ſed ſuarum præuaricationum plurimarum differri vltionem, recrudeſcebat amplius induratus, & ſe non ſentiens mortalem, in perniciem ſuam & Regni, fædiſsimis in Deum hominesq; præuaricationibus graſſabatur, nihil pro ſalute, & honeſtate ſua penſi, nihil iuſti aut legitimi habere, ſed omnium ſtatuum officia, & ordines confundere, humanitatem & clementiam in tyrannidem vertere, & ſpurcitijs Sodomiticis indulgere. Conſtabatq; virtutem in principio regnandi oſtenſam, ſimulatam non veram fuiſſe, tetraq; vitia diu latere non potuiſſe. Et cum de ſæuitia (qua lac humanum canibus, prole tenera abiecta ſugendum præbuerat, quâ tributis & ſubuectionibus diuites iuxta ac pauperes grauauerat) nihil remitteret, nec ſatietas, neq; conſilium, nec reprehenſio, nec metus, modum vllum aut finem tot tantiſq; malis impoſitura videbatur. Contumeliam quoq; Diuinitati facturus, id agebat vt patratis ſceleribus, noua adderet & malis prioribus peiora auderet, apparebatq; nullum ſub ſole rerum fædiorem tramitem poſſe Polonis, & eorum regioni contingere, Rege eorum, teterrimo facinore, ipſis vero aſperrimo grauamine inuolutis. Epiſcopus itaq Cracouienſis Stanislaus dote virtutum celebris, & fidei merito inſignis, etſi in omni ſua vita, quàm in eam diem omni laude cumulatam produxerat, tam

Reli-

Religioſe quam enixè Deum omnipotentem cuiuſque legem coluerit : impietate tamen Regis conſpecta & ſub oppreſsionis faſce Regnum Polonicum videns detruſum, pietati & fidei ſuæ calcar adiecit, ea conditione ſe in Cracouienſem Pontificatum prouiſione ſuperna euectum ratus, vt primum omnes acerbitates, deinde omnes cruciatus, ipſam deniq; crudeliſsimam mortem, pro Dei ſui lege & populi ſibi cõmiſsi ſalute perferret, ſua paſsione, ſuoq; felici cruore plebem Polonicam in libertatem & ſalutem vindicaturus. Tot tantiſq; Regijs flagitijs obuiam ire parat. Regias itaq; præuaricationes & vitia graſſari in Deum, & ſtatum, decuſq; Regni Polonici per illa labefactandum Apoſtolici viri opus & fidem præſtitit, & libera conſtantia, altoq; & inuicto animo ad extremum vſq; alijs per metum diffugientibus, pro iuſtitia & veritate ſtare decreuit, nullumq; trepidationis ſignum præſeferens, quin etiam vultum amænum præſeferens Regem obſtinatum cum auctoritate liberæ increpationis progreſſus, magnâ tunc militum ac Procerum ſtipatum cateruâ, nouo reprehenſionis genere in illum vſurus accedit, & Pontifice dignâ conſtantiâ magnifice Concionatur apud Regem, ſaluationis ſuæ cupidus, non pœnæ, atq; huiuſcemodi plenus Religioſo pietatis affectu illum conuenit alloquio. Quamuis inquit nouerim te ô Rex ſaluberrima mea monita tibi pridem à me

paterna

paterna caritate ingesta, obturata audisse aure, & graui oneratum irâ, grauibus etiam me contumelijs & improperijs insectasse, omnium tamen illorum facilè oblitus, salutis atq; honestatis tuæ amore officij quoq; mei debito incensus, ad te iterum venio, videns scienſq; te libertati desideriorum immersum, scelerum magnitudine obrui malo tibi meam reprehensionem displicere quam veritatis & Iustitiæ causam deserere. Tu quidem Rex antiqui hostis concitatus virulentiâ naturæ ordine transmutato & peruerso, naturæ quoq; indulgentiâ prætermissâ brutis quæ sua tempora & iura custodiunt immundiorem te præstitisti, quibus te præfert enormitas excessus in reatu, feræ enim hunc informem ignorant luxum. Tu gloriam Regiam confusionis dedecoras opprobrio & gentis Polonicæ inficis nobilitatem. Tu prostitutâ Iustitiâ per quam à misericordiæ Patre Deo noueras te pro omni tempore Regiminis in prosperis dirigi, & in benedictionibus ampliari inaudito & inusitato sæculis sæuitiæ genere, fæminas puerperas canibus fugendas præbes, humanæ quoq; sortis tenorem & redemptione IESV Christi nobilitatæ decus, per caninos morsus contaminas, & dignitatem humanam confundere atq; viliorem bestijs reddere conaris. Tu opibus & reditibus Regijs in vsus vanos profanosque distractis, in alienos sfundo inijcis auaras manus. Tu subiectorum lacrymis &

ærumnis non moueris. Tu eorum ſubſtantias deuoras, & per frequentes ſubuectiones, fortunas quoq; & ſuppellectilem demoliris, abiectoq; præuaricationis metu, prauæ te ſpei (quaſi hæc ſcelera facile tibi debeant ignoſci) laqueis irretis, Diuinæ vltionis pænas, quæ te propter hoc manent putans poſſe conuelli. Quouſq; tædas animam tuam, & præcipitas eam in interitum? claudens tibi immanitate tranſgreſsionum portam regni cæleſtis. Ex quibus omnibus quam profanus & impius in Religionem Diuinam extiteris, tu ipſe couſideras, ferales ſunt hi auſus, non Regij, barbari mores non Chriſtiani, & tibi & Regno tuo niſi illos correxeris exitium, & ruinam allaturi. Noli te ſolum putare Regem ſed hominem, noli tantuñodo contemplari ſolium tuum, & imperium vix in craſtinum velut putrem fumum duraturum, ſed naturam quoque & conditionem mortalitatis tuæ conſidera, eiuſdem enim naturæ, eiuſdem & conditionis (qualem & ipſe retines) ſcito te hominibus imperare, qui ſorte mortalitatis à quocunq; ruſticano homine non differs, qui etſi ſingularitate præſtas culminis, æqualitatem tamen attende conditionis: deſine imaginem Dei atq; plaſma tuis deteſtantibus iuſsionibus crudeliter atq; atroci auſu impetere; irritas enim Creatorem dum illius (execrabili exemplo) affligis imaginem ad parem ſeueritatem obſtricturus cæli Dominum contra te, qua ipſe

nunc percellis natura pariles & conſeruos. Nec ideò illum exiſtimes à te minus offenſum, quia nondum expertus es iratum. Senties iudicem, ſi me benignum ſpreueris monitorem deſine tam turpi Sodomiæ vitio vti. Contumeliam enim infers Altiſsimo, & hoſtem naturæ te conſtituis, deſtruis, corrumpiſq; in tuo corpore Dei formatum templum, à Deo ni deſtiteris ipſe deſtruendus, nam tantæ deformitates facinorũ, non niſi virgam vltionum & æternum opperiuntur incendium. Non confidas Excellentiæ Regiæ, neq; amictui purpureo æqualium hominum, Princeps & conſeruus. Vnum omnium Dominum Regem & Creatorem crede, & tibi & cuilibet alteri æque promerito vel demerito repenſurum, qui tui Regni protector, tuæq; ſalutis auxiliator eſt, per quem tibi tanta virtus, tanta felicitas, tale deniq; imperium tributa ſunt, vt regna & externa dominia poſsideres, & gentes in circuitu ſubiugares. Cuſtodire etiam paternæ pietatis hæreditatem, clementiæ & commiſerationis magnam rationem habere te conuenit, non rerum ſucceſſu corrumpi atq; inſoleſcere, cum & Parens tuus pietate & religione colendo Deum, amiſſum recuperaſſet regnum, euiciſſet tyrannos, & tam Deo quam hominibus amabilem ſe præbuiſſet. Attendere inſuper & aſsidua perpendere velis meditatione quam ex illuſtri ſtirpe ſatus ſis, & per vtrumque Parentem celebris te contingit propago,

quòd iure primogenitorum electus ante fratres, euectus ad ſolium, diademate & Regni gubernatione ſublimis, locum non inter fratres ſed inter omnes Sclauonicæ linguæ Principes obtineas celſiorem. Tantis itaq; & tam ſublimibus beneficijs Dei diligenter expenſis te deprecor, te moneo, te obteſtor, tum per ipſum Deum, cui omne ſordet iniquum, tum per Religionem orthodoxam, tum per decus tuum regium, per deniq́ue Regnum tuum Polonicum quod tuæ eſt Maieſtatis pretioſa hereditas, vt operibus tuis execrandis non irrites, non exacerbes Deum, ſed in eius præceptis atq; lege abſq; offenſione incedas, nec gladium quem Principaliter à Domino in defenſionem innocentûm accepiſti, in tyrannidem conuertas, ſed colas Iuſtitiam, & æquitatem diligas, pietatem ſingulis præſtes, ad quod te præcipue hominibus naturæ tuæ participibus, intelligas latum, vt non ſolum in huius caducæ vitæ, ſed inſuper in æterno poſsis honore clareſcere. Et quo altiorem ſtatum præ filijs hominum, fauore & nutu Diuino conſcendiſſe te aſpicis, eo humiliora obſequia, eo puriora opera exhibeas conferenti. Qui enim te benigne condidit, benigniſsime te ſaluare cupit, iram in te irreuocabilem effuſurus, ſi conuerti renueris. Reſpice quæſo, qualem de te facis præſenti & futuræ ætati fabulam, quantaq; ad præcipitia luxuriæ, de te creſcit in cæteris auctoritas, quantum ſcandalum,

dalum, quanta pernicies, nec libidinosiùs obscæniùsq; quàm hominem & Regem deceat corpus attractes, sed pro sceleribus singulis profer lacrymas, & pœnitudinis confusione te inuolue, omnem vitiorum tuorum æruginem concrema, minacem sententiam Domini, & vltricia flammarum perpetui cruciatus euasurus incendia. Etsi lege tam humana quam Diuina non moueris, saltem naturæ religione mouearis, cuius gratia, & bestias ligat, & belluas censurat. Momentaneæ insuper tuæ voluptati primum orbitatem, & regni perniciem exterminiumque, deinde perpetuos cruciatus & pœnas non dubites responsura. A terreni primum Regni, deinde à cœlestis, nisi resipueris, iusto Dei Iudicio, hereditate excludendus, cum Gommorrhæis & Sodomitis in sulfuris iudicandus examine. Si verò à facinoribus desistendo, pœnitentiâ, satisfactione, & fletu cõmissa dilueris, diuturnas successiones & res florentes æternas, lucidissimasq; sedes tibi & tuæ posteritati, fidelis verusq; sponsor repromitto, paratus pro anima tua ponere animam meam: nec erit tibi (si ad integrum resipueris) tarda salubritas, mauis emendationis meritum, quàm abundantia culpæ postulauerit in te & in tuos benignitate Diuina expertus. Benedictionis quoq; à me promissæ assero te cum tuo fore genere compotem, si quæ salubriter moneo implere contendas: sin aliter ire pergis, nimis iniqua

redhibitione reſpondes Domino, qui tibi ſuper gentes, & regna terreni imperij conceſsit Principatum: & quamuis in præſentiarum ſanus, integer, & validus ſis, & tot tantorumq; Rex dominiorum opibus, potentiâ, exiſtimatione, certè non in poſtremis, hæc tamen omnia ad conſequendam futuram Beatitudinem, niſi pietate, contritione, & ſatisfactione, Deum tibi placatum feceris, exiſtima prorſus nihil profutura. Etſi te omnia hæc non mouerint: Saltem Tribunal illud Chriſti tremendum, cui te adſtare oportet, moueat, reſipiſce, reuertere, conuerſionisq; viam celeribus præoccupa veſtigijs.

CAPVT XXII.

S. Stanislaus mortis comminationes ſibi à Rege factas contemnit, neq; à vitijs dehortari Regem deſinit.

SVperuacanea autem viſa eſt optimè ac ſalubriter monentis Staniſlai Pontificis oratio, quia tam Regis quam nonnullorum ſuorum Procerum ac militum iram & temeritatem ſuam mulcentium, procliuior fuerat ad quæq; deteriora conſenſus. Vnde ſibi & Regno proprio maturum parabat & nectebat exitium, quippe & proterui capitis Rex obſtinato animo ea omnia quæ ſalubriter ingerebantur calcabat: & flecti difficilem voluntatem ad ſana Staniſlai conſilia gerens, ad omnia quæ furor, temeritas, ira, & indignatio ſuggerebat, men-

mentem verterat, ex admonitione paterna magis efferatus. Neq; aliquid ſalubris remedij ſeri poterat in anima confuſionis plena, quàm peccatorum multitudo contexerat. Maligno ſiquidem pectori nunc tyrannidi dedito, nunc cædibus & ſeueritate in Matronas occupato, nunc inquinato ſpurcitijs nefandæ libidinis nulla ſalutaria admonitio inſidere poterat, nulla illud paterna & clemens reprehenſio emolliebat, in Pontificemq; Staniſlaum furoris facibus amplius ignoſcebat. In hunc ſiquidem in quem prædiximus modum, magno animo vt Pontifici & viro Apoſtolico par erat Staniſlai Regem admonentis, obſecrantis, & obiurgantis, Boleſlaus Rex iracundiæ ſuæ frena laxans, peruicatiorem furorem, effudit. Increpitus Epiſcopus ab eo, & contumelijs atq; terroribus & cæteris id genus improperijs obrutus; denuntiatio inſuper addita, vt ni deſiſteret maturè, ſe noſſet periturum. At Staniſlaus vir Deo plenus impauidus (dum maledictis inceſſeretur) atq; conſtantior manſit, conſtanti animo atq; obfirmato ad ſingula pro Chriſti nomine, & plebis Polonicæ libertate, perpetienda, parui faciens, ſiquidē terrores Regios nō ſubticuit neq; vt mercenarius ouibus deſertis fugit, ſed acrior conſtitit nequaquam mortis interminatione perterritus, animamq; ſuam ingenue, & magno animo ad paſsiones quaslibet ſubeundas compoſuit. Omnes enim ſuas curas ſpes atq; cogita-

gitationes non ad caducam sed ad æternã vitam producendam obtinendamq; direxerat. Itaq; lacessitus fortiorem se præstitit, omnium terrorum, omnium acerbitatum atq; suppliciorum comtemptor. Et perfecta caritate præditus, proculq; mittens timorem, amplius Regem (Christiano pectore infatigatâ constantiâ, flammas, sæuientis Regiæ iracundiæ, mansuetæ mentis placabilitate extincturus) hortari atque monere perrexit vt pro commissis pœnitentiam concipiat: vt pro sceleribus fleat, vt vltrices pœnarum flamas, quæ illum manerent, lacrymarum vbertate comprimat, prædicens nisi resipiscat lúminare suum oportere extingui, sortem & gladium felicitatis suæ retundi, & singulas suas actiones teterrimo funestari piaculo. Nec speraret surrectura aliquando quæ semel corruerint. Hæc autem non tam sibi quam omnibus Regibus & Principibus Poloniæ visus est mihi veracissimè prædixisse, præmissa autem & plurima alia ad commouendnm & reprehendendum Regem dicens, confidentiâ simul & lætitiâ replebatur, ita vt alacritatem vultûs eius, & responsionum atq; reprehensionum constantiam, turba Procerum & militum quæ circa Regem aderat stupore ingenti miraretur, plurimorum insuper efferebatur tacita licet laude, quod inter Polonicos Pontifices exstaret, qui quod rectum & iustum & salutare fuerat prouidere, atq; pro æquitate prodire in aciem auderet, velut

acer-

acerrimus defensor Iustitiæ, & Reipublicæ propugnator strenuus, portus quoq; & scopulus omnium iniustè afflictorum. Mouisset correctio Pontificalis etiam saxeum pectus. Rex tamen Boleslaus saxo durior, ferro rigidior, non mouebatur. Considerans proinde Stanislaus Episcopus quod Boleslaus Rex in omniũ correctionum contemptum veniens, ita videretur à se & reprehensionis Pontificalis disciplinam, & timorem Dei & hominum reuerentiam repulisse, vt laxatis peruicaciæ frenis: nec stimulo vrgeretur conscientiæ, nec pudore confunderetur infamiæ, neque pœnis gehennalibus sibi denuntiatis terreretur, rigidiori ergo animaduersionis in Regem genere vsurus, verba facit. Quando inquit profundo tenaciq; facinorum limo demersus & infixus peruersè prorsus, & nefariè grassaris in Deum, qui te per prospera extulit, qui per varia munera ad gloriam euexit, qui beneficijs, auxit plurimis, tu te illius exhibes & desertorem & offensorem, tu sua beneficia multiplicia ducis in irritum iura coniugalia prostituens affligis regnum, tu obscœnam sectatus venerem (non corpus tantummodo & spiritum; sed ipsarum etiam aurarum spiramina fœdantem) sceleribus & oppressionibus nullum modum ponis. Scias me de cætero non admonitionibus sed præceptis, non reprehensione sed censura tecum acturum, & gladio Ecclesiastico exserto, tuas sceleratas

actiones, dum aliter rescindi nequeunt) coercîturum. Incanduit his auditis ingenti Cholera Rex, cum neq; Deus, neq; facinus meliora illum sentire permitterent, & fremitu in Episcopum quasi manus illi illaturus edito, terroribus (vt moris est illi potestati) & contumelijs improperijs agi: bilem quoq; & vltionem spirare cæpit, & ni desisteret, interitum sibi sciret prope diem euenturum. Flagrabat dudum & iam tunc in Beatissimo Stanislao Martyrij glorioſus ardor, quapropter saturatus opprobrijs, alteram percutienti præbebat maxillam & intrepidus absq; vlla animi perturbatione, superno illustratus lumine contumelias exprobrationum, & denuntiatæ mortis opprobrium libero fastidio irridens, hæc Regi minitanti respondebat. Vtinam vero propitietur mihi Deus, & quamuis immeritum dignatione sua tribuat corporis mei munus in holocaustum acceptæ victimæ sibi offerre. Quamuis autem Regis in Pontificem scaturiret ira, nemo tamen apparitorum, sed nec ex militum (quæ Regem circumfundebat) turbâ, ausus tunc est facto aut verbo obsistere, aut reprehensiones Pontificales refellere, aut aliquam illi contumeliam, vel violationis iniuriam inferre, quinimo nonnullorum Procerum, consiliariorumq; paucorum tunc Stanislao discedente, impetitur Rex admonitione atq; precibus vt reprehensionem Præsularem, non secus, quam oraculo demissam

missam Diuino, in pectus animumq; demitteret, & pietatem Agni cæleſtis, facinoribus ſuis de cætero non irritaret, & non tam ſibi quam regno, liberis quoque ſubditis consilio meliore proſpiceret. Verum inuidens fortuna domitori gentium vicinarum Regi, ipſum & in ſuum & Regni Polonici coarmabat exitium, ſalubres enim monitus modeſtis & timoratis viris ingerentibus, malignorum ſuperueniens ſuggeſtio præualuit, & Rege ſuapte furentem, ad quæq; improba in Epiſcopum meditanda incendens, facile recta & vera monentium consilium extenuauit: difficillimumq; erat Patrem benignè admonentem audire, & ſanam ſuam & aliorum eruditionem ingerere obſeſſo grandi facinore capiti, quòd & propria iniquitas & efferata vis animi, & impetus incitabant peruersè ſuadentium conſultorum. Non ideo tamen Staniſlai Zelus & ſtudium quieuit, nihilq; de rigore remittens, vniformi in corripiendo Rege durauit propoſito, & tenaciùs vt poterat patientiæ thorace munitus impietati Regiæ reluctabatur.

CAPVT XXIII.

Præmiſſis orationibus priuatis afflictationibuſq; corporis S Stanislaus Regem anathemate ferit.

DEliberanti poſt hæc Staniſlao Epiſcopo quo ordine & proceſſu deinceps in Boleſlaum Regem fungere-

geretur, & secum super his varia voluenti, nonnullorum Ecclesiasticorum virorum Ecclesiæ Cracouiensi consilia offeruntur cum obsecrationibus vt tyrannidem declinaret Regiam vt de cæpta seueritate reprehensionis remitteret, vt sibi parceret, vt Ecclesiæ & plebi sibi cõmissæ morte sua viduandæ consuleret, furoremq; Regis leniendum magis quam exagitandum censeret. Sed ille velut vas electionis à Domino dudum præuisus, huiusmodi precibus inflammatus magis ad maiorem martyrij, & in Regis salutem plebis, Polonicæ libertatem alacrior, feruidiorq; reddebatur. Tantus illi Iustitiæ & veri amor, tantum mali odium, vt periculi omnis interim obluiscceretur, nec vllius rei ampliori desiderio quam fundendi sanguinis, quàm percipiendi Martyrij tenebatur, id nocte atq; interdiu meditabatur, hæc sua assidua cum viris Ecclesiasticis consultatio, hæc ad Deum profunda oratio, vt mori sibi pro suo nomine & honore tribueret, nulloq; terrore nulla persuasione de sententia iusti, honestiq; poterat dimoueri, manebatq; in aduersis potentior mansuetudine & conuersationis puritate ornatus, in tantum desiderium exardescens Martyrij, vt insectari ipsam mortem & captare videretur, existimans non aliter libertatem Ecclesiæ, & plebis Polonicæ, nisi per necem suam vindicari posse. Nec secus Zizaniorum semina quæ pullulasse noscuntur, radicitus euelli, nec

oues

oues à lupinis morsibus liberari. Mea inquiens vita omnibus in speculo posita est, qui si paulum titubauero, aut reprehensionem meam remisero, turpem fugam inijsse, turpi casu excidisse audiam, desertorque gregis mei videbor, non Pastor: Diuinum iudicium nisi in præsenti contra tyrannidem Regis, pro plebis iniuria stetero, non euitaturus. Gressus itaq; suos in semitis legis Diuinæ solidâ constantiâ defigens, & ad Regios terrores immobilis perseuerans, non est passus sua vestigia commoueri, ad omnem casum stabilem firmumq; gerens propositum. Ad obsecrationes deinde & supplicationes conuersus, nonnunquam integras noctis vigilias (per fletus & suspiria veniam Regi deprecando) insumebat, sacratas & puras manus leuans ad Dominum pro reprobato & reprobando Rege, non secus quam Samuel quondam pro Saule interpellabat, atq; pro illius conuersatione suam & Regni Polonici ruinam auersurus, paternis excruciatus affectibus, frequentius sanctissimi sacrificij adoleuit incensum, & immolauit cum lacrymis vitulos labiorum. Et quanto Regis truculentiam sensit fortiùs consurgere impetusque eius lasciuire, tanto clementem Deum sedatorem supremum, profusis miserationum visceribus, sibi conabatur efficere propitium & placatum, iugiter & assiduè diurnis orationibus & noctibus peruigilibus, pro illo & ipsius conuersatione Omnipotenti Deo effun-

dens fontes & flumina lacrymarum : dum ſiquidem tranſgreſsionis & pertinaciæ Regiæ meminit, dum facinus ſuum perpendit, dum Regni ruinam & Reipublicæ deformitatem exinde venturam cogitat, reſoluebatur in viriles & Pontifice dignas lacrymas, quas illi ex caritatis affluentia, compaſsionis magnitudo excutiebat; plurimo lacrymarum rore, veſtimenta & locum orationis perfundens facinus Regium ſupplicabat abſtergi, frequentiuſq; ad imaginem crucifixi conuerſus, mærore plenus & humentibus oculis, obſecrabat, vt afflictorum tangeretur miſerijs, & pro Regijs vltionem non ſumeret delictis, ſed omnibus propitia benignitate præſtaret leuamen. Obſecrationi autem abſtinentiam addidit, & corpus ieiunio atq; cilicina zona affligens, etiam conuerſationem ſuam Regi ſubtraxit & congreſſus atq; communionem illius fugiens, modiſq; omnibus ab eo ſe & ſuis ſeparans, aſsiduis complorationibus, vberrimis ſuarum lacrymarum fontibus, & iugibus deprecationibus indulgebat ac plangebat, ſi forte Regem obſtinatum poſſet à ſuis auertere malefactis, & ſibi ſuo ſupplicatu conuerſionem & miſericordiam impetrare Diuinam, fortis & diligens vtrobiq; paſtor, mediator admirabilis, dum & contra ſæuientem Regem defenſionem pro grege & vniuerſo Polonico populo, & contra peccantem iuſtam reprehenſionem opponeret, ac pro vtriſq; orationis & ſacrifi-

crificij virtute aſsidue interpellaret. Verùm cum oppreſsionum acerbarum reduntatio amplior in dies fieret, nec Rex videretur aut illis finem poſiturus, aut obſcænitates vitiorum ſuorum relicturus: Staniſlaus Epiſcopus non vltra cunctandum & manſuetudine agendum, factoq; non conſultatione in tam euidenti periculo opus eſſe ratus. Illa flagitia, illos furores, illos aceruos facinorum, illas turpitudines non ferens, tantò maiorem cæpit adhibere rigoris Apoſtolici in Regem operam, quantò duriori vexatione videbat Regis inualeſcere in ſubditos truculentã oppreſsionẽ, & nefariam ſuam venerem tam occaſione quam exemplo in dedecus Dei & in perniciem ſubditorum diffundi. Ex gradibus igitur Regiæ culpæ, ordinem quoq; Staniſlaus Pontifex auxit cenſuræ. Sic enim ad extrema dedecorum & nequitiæ, prolapſæ res erant, vt nequaquam à Pontifice diutius (ſine offenſa Dei, & fidei, ſine ruina & detrimento Religionis & Regni) ferri poſſent. Manum ergo miſſurus ad fortia, & gladium vibraturus ex aduerſo, conſurgens pro Domo Domini in aciem verus miles prodijt: ponereq; animam ſuam pro grege ſuo, Paſtor vigilantiſsimus non dubitauit: Itaque in ſingulis normã Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ cuſtodiens Boleſlaum Poloniæ Regem dudum verbo tenus à ſe commonitum excommunicat, mandatque excommunicatum à ſuis ſubditis vitari, deinde in il-

lum

lum maiores profert sententias, ad extremum anathemate eum ferit. Ecclesiæ illi prohibens ingressum, germen pestiferum falce Apostolica succisurus. At Boleslaus Rex asperrime passus correptorem & aduersus omne remedium quod medicinali censura ab Episcopo ingerebatur se gerens contumacem, furore ex eo tempore barbaroq; odio in Stanislaum Episcopũ ceu brutũ pecus efferuescere vehementer cæpit & tota nocendi arte consurgit, tam feroci & immani animo contra Stanislaum Episcopum pietatis & Iustitiæ defensorem intumescens, rapido cursu fertur in præceps, vt illum crudeliori quo possit mortis genere consumere, voluntate plena atque consummatâ, destinarit. Quem furor suarum vesanarum actionum atque libidinum in hunc vsq; torrentem suæ præcipitauit insaniæ, vt purum se à contagione spurcitiarum execrabilium existimaret, si virum Dei & reprehensorem suum Stanislaum Episcopum gladio sustulisset, & satagens sua occulere facinora, hoc egit vt cunctis fierent vulgaria. Et quamuis sæpenumero multiplices illi tetendisset instauraſſetq; insidias, protegente tamen ipsum altissimo, omnia pericula, omnes laqueos, omnia supplicia, ad quæ destinabatur, euasit, qui nec Regijs terroribus sibi frequentius denunciatis, nec Ecclesiasticorum virorum persuasionibus, fugam, nec amicorum blandimentis, Regiam reconciliationem sibi suadentibus,

à sui

à sui status rectitudine, & firmo proposito auerti, neq; varijs persecutionibus decoctus, aut exustus flammâ, in viriditatis suæ constantia permanens quomodolibet consumi poterat. Sed inter vniuersa discrimina veritatis assertor, atq; iustitiæ propugnator religionis & fidei Christianæ tramitem atq; oppressorum & grauatorum causam, non reliquit, æquanimiter suscepturus, quicquid furentis Regis excogitauisset insania, forte quoq; & solidum retinens pectus, nulla tentatione sterni potuit. Contra tot machinas persecutionis, stetit inuicta constantia, stetit æquanimitate infracta, opponens contra tyrannidem Regis, reprehensionem Apostolicam, & contra horrendum facinus, purissimam vitam: æterna quippe magnoperè appetens, vires ex aduersitate sumebat, & *crescente pugna*, glorioſiorem sibi non ambigebat prouenturam victoriam. Gerebat adhæc in Pontificali & Apostolico pectore, suauitatem & voluptatem admirabilem, pio desiderio contingeret sibi pro Dei honore atq; Religione, pro plebis iniuria atq; oppressione felici morte damnari. Aduersus quoq; vitia Regia sensim inualescentia ab omnibus desertus, solus stetit, & ne Regem & Regnum, ne Rempub. pessundarent, quantumcunq; vno obsistere poterat capite promptus & intrepidus restitit. Nihil omittens, quòd à vigilantissimo Pastore, pro salute Regis & gregis opponi par fuerat, immenso ca-

ritatis ardore ſua demonſtrans flagrare viſcera, cum & pro expiando Regis delicto ſupplici exæſtuaret precum & ſacrificiorum incendio, & pro libertate populi Polonici carnem ſuam deuoueret ſupplicio.

CAPVT XXIV.

Rex concludit necem Sancti Stanislai.

GLadium Eccleſiæ qui ad ſalutem tantummodo percutere ſolitus eſt, Boleſlaus Poloniæ Rex contemnens velut ſtipulam, & tanta ſtultia tantaq; mole tenebrarum mentem ſuam excæcans vt gladio ſuo materiali, & potentia ſui roboris exiſtimaret, iura Diuina atq; humana ſe pro libito exterminaturum, Diuinis ſe aſsidue ingerebat officijs, Staniſlao Epiſcopo ipſius deplorantem cæcitatē & ſuo aſsiduo ſupplicatu pro eius conuerſione obſecrante. Neq; tamē illum pudor à turpitudine, metus à periculo, aut ratio reuocârunt à furore. Vidit Staniſlaus & doluit & contremuerunt renes eius, & accenſus furor eius, ſecundum iudicium legis Apoſtolicæ gratiæ illuſtratus radijs non tulit factum cum res ſuapte peſsima & deteſtanda, peiori etiam exemplo edebatur, ſed pro tam diſcriminoſis caſibus, pro tam deteſtandis exceſsibus, Zelus non immerito viri Beati accenſus eſt, & ignis in ſuæ meditationis anxietatibus exardeſcens, ſileri ab Eccleſijs rem Diuinam ſub omni tempore quo Rex adeſſet, iuſ-

ſit calorem & puritatem in Religione Dei, eo ipſo opere demonſtrans. Præſumptionis id opus pleriq; non zeli, non Religionis, non ſapientiæ, iudicabant, Staniſlaiq́ue Epiſcopi criminabantur virtutem, appellabantq; temeritatem & inſolentiam. Culpantes vehementer illum quod Regem ſuapte furentem, in periculum ſui irritare contendiſſet. Cæteris quos rectior iuſtiorq; ſenſus habebat, & Pontificalis & Chriſtiani pectoris in Staniſlao afferentibus, & admirantibus fidem, & virtutem, quòd grandem vim dilectionis obtinens, in Deum, grandem in proximum omnibus Regijs calcatis terroribus, aduerſus peccatum oblu-ctatus vſq; ad mortem nihil eſſe monſtrauerit imperioſius caritate. Efficax ſtudium & ſtudioſum affectum tanquam fidelis Præco & fortis Athleta verbo, exemplo, & opere, in periculoſo tempore proſequutus, pietatis & Religionis, atq; zeli ſui ſeminibus, vtilem vindemiauit fructum dum illum zelus Chriſti reddidit, clariorem. Auxit illicò hæc res ferocem Regis inſaniam, auxit inſolentiam & liuidum indignationis virus in Staniſlaum Epiſcopum effundens, propero conatu Pontificem obtruncare perrexerat, niſi Staniſlaus interim plus amicorum & virorum Eccleſiſticorum, quàm ſuo ſtudio ſeruatus, in loca occultiora ſecedens furorem illius declinaſſet. Conſilium deinde Rex agitabat, & cum alijs nec nocte, nec interdiu ferias agere

poterat, plenior aliquanto furorum irarumq; quam ante fuerat propter interdicti in eum lati notam, & iumenti mutilatione ad ampliorem bilem illum accendente dies ac noctes desiderio enecandi Episcopi torquebatur. Non deerat ea molienti pernicioſa purpuratorum ſuorum aſſentatio, Polonicæ genti innata, Principum opes & mentes impetuoſiùs quàm hoſtilis furor, deprauare & euertere ſolita. Erant & ex militũ ordine plures numero, qui Regis truculentiam, non modo nullis auerterent remedijs, ſed etiam mollibus alerent adulationum venenis. Non deerant, qui & Regis beneuolentia & Stanislai odio, ſpe quoq; alicuius Magiſtratus & dominij potiundi commoti, ampliores flammas ſererent. Ex quibus Rex ira & temeritate vehementi impulſus, nec ſuis nec Regni periculis proſpicere, nec Staniſlai Epiſcopi fidelem & ſalutarem reprehenſionem, iuſta voluit æſtimatione penſare. Nihil pendens ſupplicia ipſum & generationem ſuam pro ſceleris magnitudine punitura, parùm ſibi, parùm regno, parùm genti Polonicæ, parùm liberis quos iam ſuſtulerat prouidens. Nec ſatis animo ab efferata ira obcæcato recolens quo ſe vſq; effuſura foret ſceleris patrandi immanitas, tantos ſibi Spiritus, tantam arrogantiam aſſumens, tantis fremebat ſuæ indignationis motibus, vt diuinas iuxta ac humanas leges in ſua arbitraretur poteſtate conſiſtere. Sed nec deerant conſiliarij fi-

deles

deles, perpauci tamen & rari qui Regem à proposito necem Episcopo destinato auerterent, obsecrando ne vsq; ad parricidiũ grassari perseueraret, & ne Regalem dexterã Pontificali sanguine pollueret, suaderentq; vt salutem tum suam, tum communem irâ faceret potiorem, sed animus libidine & passione oppressus excæcatusque, iusti rectiq; nec capax nec tenax esse poterat, mentiq; Regiæ iam irâ efferuescenti nihil rectæ persuasionis poterat succurrere.

CAPVT XXV.

Cædes S. Stanislai à Rege perpetrata.

INnixus arbitrio suo Boleslaus Rex nullis sanis consilijs, nullis persuasionibus, nullis deniq; terroribus, à nece viro Sancto Episcopo Stanislao inferenda poterat abduci, sed inconsulto iracundiæ primum ardore, deinde furiâ vel potius dæmoniaco suggestu stimulatus ad impiam & nefariam cædem animum induxit sæuiorq; ignibus Æthnæ furor illius, atq; vltionis desiderio incensam flammam eructans rationem cum militibus proposito suo fauentibus de interficiendo Pontifice Stanislao init & quanto celsior hactenus dignitate Regia auxiliante Ecclesia refulsit, tanto in eam crudeliori animaduersione desæuit. Vires Potentiæ suæ aduersus illam nefanda mentis peruersitate conuertens, acuendo in interitum sui sponsi gladium, quem ab ipsa con-

tra ſuum ſuſceperat inimicum; nec quales fluctus, qualeſq; tempeſtates facinus illud cieret funderetque quiſquam penſi patet tum illum tum ſuos nefarios milites, vtpote ſine fronte videlicet & ratione homines habuiſſe cæcaq; obſtinatio atq; tumor & rabies quædam Regis & militum peruaſerat animos, eorumque mentes & pectora in Epiſcopi trucidationem coarmabat. In eam dementiam prolapſo Rege, vt Pontifice Staniſlao (à quo pro ſuis flagitijs reprehendebatur) enecato, & facinota ſua latere, & pro arbitrio ſuo cuncta crederet ſibi ſucceſſura. Ad explendum itaq; facinus dudum mente concluſum dies, tempus & locus opportuna quærebantur: adeò enim vlciſcendi libidine cæcus, in præceps tranſuerſuſq; viſus eſt agitari, vt honeſtène & ex re ſua, an ſecus aliquid fecerit minime cogitaret, acerbos fructus, & infelicia germina ex illo parricidij opere, ſibi & ſuæ poſteritati atq; genti relaturus. Eſt autē haud longe à Cracouienſi vrbe Eccleſia, ex Petra alba figuræ rotundæ in editiore rupella ſuper planum conſurgente, fabrefacta, & Sancti Michàélis Archangeli omniumq; Angelorum nomine dedicata, modico lacu ad latus vnum alluente, in qua quondam Poloni priuſquam ad iura Chriſtianitatis conuerſi eſſent, idolis ſuis profano cultu reddebant, ſacrificia & incenſa. In hanc Staniſlaus Epiſcopus, qui dudum patiendi & moriendi pro fide, pro Religione,

pro

pro veritate, animum induerat, pro Regis conuerſione & ſuo populiq; Polonici peccato ſacrificaturus, non Regem veritus non mortis ſibi denuntiatæ, formidine preſſus, tertio idus Maij in quintam tunc cadente feriam, comitantibus eum clericis, communionem vitaturus anathematiſati Regis deſcendit: ratus ſe illic velut in loco abſtracto, quietè rem Diuinam expleturum. Non latuit ea res Regem ſingulos greſſus & diuerticula Staniſlai Epiſcopi per ſuos ſatellites explorantem, ad ſæuum peragendum facinus, & inſignem crudelitatis aucupaturus titulum, primus apud Polonos & inter Polonicos Reges exſecrandi auctor exempli inſanæ cuiuſdam temeritatis plenus, iuſtiſsimam Staniſlai Epiſcopi reprehenſionem vlturus ferro, cum militum caterua ad vnum parricidij facinus conformi crudelitate exequendum ire pergit, eximia bona ſua vno deformaturus vitio. Feſtinabat autem ad locũ rapidis paſsibus, metuens ne vir Dei Staniſlaus per fugam (comperto ſuo aduentu) de Eccleſia Sancti Michaèlis euaderet adueniens locum militum corona circum agi, & obſeruari diligentius, ne Staniſlao Epiſcopo effugere liceret iubet. Quamuis autẽ Staniſlaus Epiſcopus cohortem aduerſum ſe conueniſſe, denuntiantibus ſibi ſacerdotibus, agnouiſſet, quamuis terribiles fremitus, ſtridoreſq; tam gladiorum quam armorum ſenſiſſet, oculos tamen in ſublime erectos tenuit

nuit, nullum trepidationis ſignum dedit, nihil ſuſcipiendæ paſsionis aſperitate trepidans, intelligens diem aduenisse, qui voluntatem probare operis effectu exigebat, nihil frementium militum cohortē horrere, nihilq; ex vultu hilari notatus est mutasse, sed virtute animi sui & constantiâ fidei securus, & omnis pauoris expers ardentior maiori reddebatur, rabiem Regis & militum suorum cruentosq; & impudentes gladios contemnens fidei & Iustitiæ probatissimum se Professorem expressit, ostendens in se plus posse amorem Christi quam cruciatus tyranni, de sola ouium suarum & persecutorum salute solicitus, eleuatis, in cælum oculis, vultu imperterrito orationem fundens, sibi ipsi constantiam patiendi, Polonico populo & suis percussoribus veniam, gregi suo Diuinæ miserationis tutelam impendi precabatur dicens. Deus omnium clementissime conditor & Redemptor; coram quo omnia viuunt cuius nutu omnia diriguntur, cuius beneficio animæ omnium pro tuo nomine morientium mutantur in melius: benedico te qui me in hanc horam & in hanc paſsionem perducere dignatus es vt particeps existerem paſsionis & calicis Christi tui. Glorifico te per vnicum filium tuum, æternum Deum, & verum Pontificem Dominum IESVM Christum, cuius paſsionis interceſsione & merito, te quæso, te deprecor, vt pro tuo nomine honore atq; Iustitia, pro tua Religione

& populi Polonici libertate firmum & patientem conferas animum, ad quælibet tormenta toleranda, dones & populo Polonico indulgentiam, ouibus verò meis imò tuis tuæ propitiationis tutelam, nec Regis ac ſuorum ſatellitum ignorantiam imputes ad peccatum. Ea oratione expleta miſſarum ſolennia Pontificalibus indutus, tremente omni miniſtrorum qui illi aſsiſtebant ordine, proſequebatur, & poſt peracta ſacrificia vir Dei, actione innocens virtute fortiſsimus, aliud extemplo ſacrificium, aliud holocauſtum proprij videlicet corporis hoſtiam, & viuæ mentis conſtantiam caſtiſsimam, ad tormenta perſecutorum traditurus corpus ad omnes etiam cruciatus perferendos coarmabat. Continuit ſe Rex Diuino nutu correptus, donec ſacrificia miſſæ per Staniſlaum ſoluerentur. Sed vt erat ferox natura, & omnis moræ impatiens, perterritus ira, accenſus furore, & quadam rabie vexatus, mittit tandem milites qui Staniſlaum Epiſcopum etiam ſacrificantem interimant. Affuit illicò virtus Diuina, potentiam dexteræ ſuæ manifeſtans, ad conſpectum ſiquidem Pontificis cohors armata, ad occidendum miſſa, poſteaquam Eccleſiam ingredi auſa eſt, expalluit, trementibus quidem artubus & genibus, animo verò magna & repentina formidine, & quem Deus impietatis auctoribus immittere ſolet, conſternato, dum virum Dei ſtrictis enſibus nititur contin-

gere, cecidit, magnum edens corporum & armorum fragorem retrorsus. Reptantium more ex Ecclesia euoluta turba, à Boleslao Rege quod vacua redijsset castigata, & inclementi imperio quatenus iterum factum exequeretur iussa, resumpto ferro, & spiritu, facinus etiam resumptura, ædem sacram reintrat, facinusq; patrare incæptum adorta, arietatur vice altera præceps in terram. Quam ab Ecclesia conatu irrito reuersam Boleslaus Rex velut meticulosam corripit, imperatq; atroci verborum comminatione duplici ingressu neglectam necem Pontificis maturare. Mouebatur omnis illa cohors, sed metu Regis, tam indignationem quam trepidationem superne immissam premebat. Adhuc autem audentibus Rege & militibus, & nequaquam Diuina expectatione correctis, dum Ecclesiã iussu Regis expleturi milites introissent, obriguerunt vniuersi, & non secus quam mortui ad extremum allidebantur ad terram resupini. Vehementiorq; quam prius ictu sternebantur, nec virum Beatum contingentes tertio iam terrore correpti, de Ecclesia viritim prosiliunt, & imbelles dexteras suas ad irrogandum necem Stanislao Episcopo, quia Diuina virtute Stanislaum Episcopum protegente, seq; tertio prostratos, obrutos, & terrefactos, tyranno denuntiant, quatenus non militari parricidium expleretur manu, sed Regiâ, & publici potius quam priuati munere officij. Quorsum

ſum hæc? niſi vt facto præſenti cui ſimile in horto oliueti in captiuitate Chriſti euenerat, manifeſtum fieret, quod non cum imperat tyrannus, trucidamur, ſed cum probauerit Dominus corripimur, & vt futurus Martyr per ſimilem qui Chriſto acciderat caſum, ampliſsimo eueheretur honore, qui ſilendo & orando armatos ſuos occiſores, inermis ipſe iterum atq; tertio in terrã ſtrauerat. Indignum vt reor prouidentia iudicabat ſuperna, vt Chriſtus Domini futuro decorandus Martyrio à quoquam priuſquàm à Rege qui & ipſe Chriſtus Dñi erat, contingeretur. Diuinitas quoq; primitias parricidij ſoli Regi (quod palam licebat ex trino militum caſu intelligi) reſeruabat. Sed redeo ad id vnde digreſſus fueram. Boleslaus Rex nihil iſtis quæ à militibus denuntiabantur motus, nimietate iracundiæ ſuccenſus, & furijs ſtimulatus vltricibus, ac nefandorum ſuorum ſcelerum vexatus aculeis, virtutis inſuper Diuinæ oblitus, diabolicis tenebris excæcatus, diuinumq; (quod illi miro miſerationis modo per triplicem militum caſum, lapſum eius auerſurus Deus, patenter oſtenderat) interdictum non aduertens, reputans militum, caſum triplicem, vel quibuſdam accidiſſe præſtigijs aut milites pauore conſternatos, correptos, & ſtratos ſe finxiſſe, minaci & pleno furoris vultu, obiurgat illos & corripit dicens. O degeneres & ignaui, fæminæ non viri! puſillanimes non milites, tanto

pauore & trepidatione vos perculsos intueor, vt plures numero vnum Presbyterum inermem armati de Ecclesia trahere, & meas graues iniurias, in eo vlciſci pertimeſcatis. Sic aiens vt erat nimium vehemens feroxq; natura, dæmoniacis inſtigatus ſuggeſtibus, & fundendi ſanguinis auidus, quamuis vt præmiſimus interdictoriam in Chriſtum Domini ſæuiendi (pertinam ſuorum militum retrorſum auerſionem) ſententiam accepiſſet, exſerit gladium, ſibi & cuilibet alteri Regi, non ad irrogandas, ſed ad propulſandas iniurias & neces innoxias, à ſuperna poteſtate attributum, nouo & inaudito genere carnificij vſurus, & tam ingenti furoris æſtu actus, vt ne ſibi quidem, donec Pontifex rem Diuinam expleret præſtolandum duxerit, in Eccleſiam Dei quam ab aliorum tyrannide in coronatione ſua tutandam iureiurando ſe deuouerat, cum turba carnificum militem Chriſti Stanislaum occiſurus inſilit. Epiſcopum Staniſlaum (qui benignior quam iuſtior, zelando ſuam ſalutem, erga illum apparuit acriter inclamans) probroſis ipſum inſectatur contumelijs, templumq; in quo Spiritus Sanctus pernox & perdius habitauerat violat, & non loco, non tempore, non ordine Pontificali & Apoſtolico deterritus, non Diuinam, non Sanctorum præſentem veritus Maieſtatem, exuta prorſus humanitatis manſuetudine Beatiſsimo Pontifici Staniſlao Miſſarum ſolennia conſumanti, gladium

dium Sancti capitis vertici profundiùs quò valuit immerſit, ſanctumq; verticem diſrupit, ac Pontificalem cruorem recentibus ſacrificijs permiſcens, virum Dei Staniſlaum Polonicæ Eccleſiæ lucernam, impius. Rex & ſceleratus veniam ſibi & ſuis ſatellitibus deprecantem proſternit, interimit, & extinguit. Sic parricida impius dignum Deo Martyrem conſecrauit, ſponſum in gremio ſponſæ, paſtorem in ouili, patrem in filiæ amplexibus, & filium in Maternis pæne perimens & obtruncans viſceribus, hædum in matris lacte decoquens, & terram cruore ſanguinis Pontificalis inebrians, ſceleratus ſanctum, tyrannus Præſulem, caſtum inceſtus, purum impurus. Perimere autem Sanctum Dei non contentus, etiam contumeliam & ludibrium adijcit in extinctum, beatumq; corpus adhuc in pauimento palpitans, vt ſanguis ſanguinem tangeret, & abijſſus abijſſum inuocaret, omnem ante quæſitæ probitatis gloriam impietatis ſcelere obfuſcans, poſuit maculam in gloria ſua, & in cruore innocuo, baltheum Regium obfuſcauit. Et perpetrauerit licet ferox tyrannus cum ſuo ſatellite quod decreuerat, nondum tamen pectus cædis auidum quietari potuit: paruaq; hæc atq; exigua Regi impio, quæ occidendo virum Dei, & occiſum deformando mutilandoque iam peregerat, videbantur, nec eſt expletus nece Pontificali cruentus animus, & mens impia, poſtquam ſuſtu-

lerat viuum quem odisset, eius adhuc cadauer persequebatur, Cadauer enim Sancti extra Ecclesiam extrahit, & concidendum militibus tradit. Stabat siquidem ante fores Ecclesiæ cohors armata militum cædis Regiæ spectatrix potius, trino suo casu ad id permota quam adiutrix, visura quoq; in quem finem imbrobi ausus Regij reciderent. Verũ Regia impunitate conspecta, priorem quasi pusillanimitatem à Rege illis exprobratam detersuri, & in corpus sancti exanime a Rege illis obiectum certatim mucronibus & pugionibus sæuiunt, crudelissimè in illum barbarorum ritu grassati, & quos viuo potentiâ supernâ prohibiti non poterant, mortuo vnus alterum præueniendo & impediendo, creberrimos ictus infligunt, vt vnusquisq; eorum sibi summo delicto duceret, nisi aliquid singularis sæuitiei in sanctum intulisset, quatenus Rege sæuum opus cuiuslibet prospectante, is in fauore Regio haberetur potior, qui crudelius in Sanctum impegisset. Vnde factum est vt amputatâ ei dexterâ qua frequenter panem & vinum in Corpus & sanguinem Christi conuertendum signauerat, & capite detruncato, coronam, quàm in Clericalis Religionis indicium, ad imitationem Apostolorum Principis, deferebat, à reliqua parte capitis strictis gladijs amputarunt, non attendentes quod & in caput eius & in manus, vnguentum effusum fuerit sacratissimæ vnctionis, Ita fas & lex,

pudor

pudor & reuerentia, Pontifex & templum, & omnia iura Diuina & humana Rege agente, Rege iubente, atq; præsente, tum profanata, tum confusa. Non aliter etiam corpus viri Dei minutatim in mille conciderunt particulas, vt à membro quolibet singularem se exigere voluisse pœnam, Rex decerneret, & tot mortibus quot concisionibus virum Dei plectendum censuisset, quam si vellent, & quod mactauerant manducare, & exponere quod ceperant, tàm impia concisione venale. Existimabat Rex cum satellitibus Pontificis sancti memoriam è terra & viuentium memoria tolli, si illum in tot partes concidisset: sed ea res longe aliter ac Rex ratus erat euenit, nam dum nomen eius è terra eradere satagit, omnium sæculorum memoriæ illum altius vt excidere possit, infixit, & cum tam atrocem tamq; tyrannicam in Stanislaum Episcopum peregisset carnificinam ab Archidiacono tamen & Canonicis cæterisq; sacri ordinis qui Pontifici ministrauerant viris, manus continuit.

CAPVT XXVI.

Boleslaus Rex cum militibus de perpetrato facinore gaudent & S. Stanislai gloria.

PErierat iam in Stanislao Episcopo humanæ conditionis cognitio, & non solum quis fuisset, sed & quid esset naturæ figurâ ereptâ, tormentorum & conci-

conciſionum crudelitate, ne agnoſci poſſet, abſtulerat. Iacebat ſiquidem corpus exanime, confoſſum ſauciatum, ſciſſum: ceruix abſciſſa, cerebrum diuulſum, candida olim membra, cruore oblita, & luto deformia. In Rege tamen feri & barbari mores manſueſcere nequiuerant; ipſe ſiquidem rabie ſolita intumeſcens, neq; crudeliori carnificina ſe ſatiatum declarans, membra conciſa in varia, & remotius porrecta loca ſpargi, & in terram effundi, & vt à beſtijs, feris, canibus, vulturibus, coruis, ceteriſq; ſanguipetis alitibus deuorarentur iubet proijci & exponi, poſiturus morticina eius eſcas volatilibus cæli, & terræ beſtijs carnes eius. Neſciens delirus quid hac corporis ſancti ageret conciſione & diſiectione, quantum regnum ſuum Polonicum concidebat, & exteris gentibus, velut ſanguipetis ad deuorandum delendumq; ſpargebat, ſe vero & genus ſuum per huiuſmodi inſaniam, Regio fulgore & diademate priuabat, & credens conciſione & proiectione huiuſmodi ſæua & abominabili, Sancto Dei ſtruere ignominiam gradum illi ſtruxit ad nominis immortalitatem. Moxq; milites Rege ſpectante iuſſa perficiunt, & corporis ſacri partes per circuitum diſpergunt, & in corpus humanum humanitate amiſſa ſæuiunt. Idq; quam maxima cura ſecundum edictum Regis prouident, vt per iactus huiuſmodi in remotiora quæq; loca artus, quos gladij impiorum &

frameæ

frameæ ſatellitum diſciderant, omnia oſſa cum neruis quæ ferrum ſulcauerat, ſeparatim & longe à ſe diſtantia iacerent proiecta. Vnius digiti articulus in ſtagnum Eccleſiæ ad quam hæc agebantur proximum, decidens, à piſce glutiretur. Ad Regiam deinde nefanda & recenti cæde ſacerdotali madens Boleſlaus Rex, cum cohorte militum reuerſus, heroicum facinus exoluiſſe apud milites gloriabatur. Aſtabat procerum & militum ſatellitumq; turba, aſſentationum (qui Regibus domeſticus conſueuit eſſe morbus) ingerens laudes, heu miſeros? quanta caligo cæcis, recte conſultum, rectiſsime eſſe factū aſſeuerabant. Conſolabantur certatim Regem vt quiſq; maximè poterat, facinuſq; ſuum ſtultis nutriebant præconijs, parricidium & facinus Regium quod Pontificali ſanguine impias fædauit manus, non extenuans tantummodo, ſed commendans, laudando quod obiurgare debuerant: nihil temerè, nihil truculenter, aut in humanè, nihil acerbè, aut tyrannicè, (ſed iuſta irritatum & quæ diutius quam tranſgreſsionis moles exigebat, differebatur irâ in Epiſcopali nece Regem comiſiſſe, vt ingenia humana ſunt ad illius cui aſſentantur leuandum culpam, nimiò plus facunda, quinimmo Stanislaum Epiſcopum merito & iuſtè cæſum fuiſſe inſuſurrabant. Quibus Rex delinitus ſermonibus & eorum aſſentatione rectum ſe egiſſe opus exiſtimans, ædem Pontifica-

lem, & Sacerdotum familiariumq; suorum domesticorum, fortunas militari irruptione expilari mandauit, assidue cæco impetu inuestigans, si quid vltra inferre posset in eum, qui iam huius vitæ limen excesserat, vno parricidij sui peruerso opere bis impius, bisq; profanus, qui & curatorem suum salutaria monita ingerentem, impetere non erubuit, & Pontificem rem Diuinam tractante trucidauit. In hunc modum sanctæ memoriæ Stanislaus Cracouiensis Episcopus cui ab incunabulis, Fidei & Religionis inerat vigor vitæ, meritò dudum Martyr velut electus aries ex magno grege assumptus, acceptabile holocaustum offerens omnipotenti Deo, palmam gloriæ æternæ, quæ causam Dei intrepide agentibus impenditur, consecutus sanguinis lauream illustrissimam occupauit glorioso Martyrio, humanis quidem manibus, sed ferina mente, sub Gregorio Papa septimo, dum annum prope quinquagesimum ageret consummatus est, & per mortem premia immortalitatis octo annis Pontificali in Cracouiensi Ecclesia administrato sacerdotio adeptus, si mors appellanda est, quæ viuendi dedit initium. In hunc modum gratissima Deo victima litata est, verùm ipse Sacerdos Dei & hostia, sanguinis sui profusione Christum victorem victor secutus ad cælum. In hunc modum suis tantummodo viribus constans Episcopus, & de Rege potentissimo multarumq; gentium & nationum

tionum victore, & de ſua armata militia triumphauit. Pontificatumq; ſuum Domino Noſtro IESV Chriſto nobiliſsimi ſui ſanguinis effuſione ſacratum reddidit. In hunc modum maximo certamine, ſummoq; robore martyrium confecit, qui quod defuit paſsioni Chriſti iuxta quod de ſe teſtatur Apoſtolus inſigni ſuo & admirabili Martyrio noſcitur in ſuo corpore ſuppleuiſſe. Anima cuius Beata tot ictibus & tormentis carnificum tot cruciatibus & preſſuris à corpore excluſa, volatu celeri ad propria remeauit. Benedictæ ſpeculum Trinitatis pro Martyrij ſingulari merito perſpicaciſsima acie viſum & inter primos Martyrum Ordines ſplendidiſsimum atq; ampliſsimum locum perceptura, miniſterio Angelico aduentum eius, vniuerſa Hierarchia cæleſti honorante, in æthera cælorum, & ſempiternas (vnde illi origo fuit) inuecta eſt manſiones, in concilium Beatorum Spirituum, & in Regnum Dei cum inſigni triumpho recepta, conſociata Hierarchicis ſplendoribus, Diuinæ Maieſtatis effecta perpetua contemplatrix ad ſacras ianuas & in thalamum cæleſtem cum ſplendore admirabili atq; coruſco accepta, & in colloquium familiare Dei admiſſa, ac in participium hereditatis æternæ ſuſcepta, ex cuius occiſione ſonus valde canorus prodijt, qui vniuerſum orbem Catholicum, ad ora in conditoris laudem ſoluenda perculit, & corda orthodoxorum in eius amorem excitauit. Non teme-

re, ſed religiosè atq; piè crediderim, quòd Staniſlao Epiſcopo ex bello infeſtiſsimo, ex pugna crudeliſsima cruore oblito, & in mille partes conciſo, de Rege potentiſsimo & ſuo exercitu triumphum & palmam referenti, Chriſtus Dominus qui agonem ſuum lætus ſpectauerat, qui præliantem adiuuerat, cum omnium Beatorum animarum occurrit caterua, & militem ſuum blandiſsimè compellans miris extollebat præconijs, coronam varijs floribus contextam velut victori magno, agones ſuos præmio æterno remunerans offerebat, ante cuius maieſtatem vir Dei Staniſlaus conſiſtens ea poterat vti querela. Vides ne qualia patiuntur, ô verbum Dei! reprehenſores criminum nefandorum. Ecce enim Boleſlaus Polonorum Rex increpationem meam non ferens, Petri militis poſt triennium ab inferis reuocatione & cauſa trino ſuorum militum, me occidere iuſſu ſuo venientium. Tuæ inſuper Maieſtatis præſentia necquicquam deterritus, auſu ſacrilego me ad aram corripuit, & corpus concidens infruſta feris deuorandum diſcerpſit. Cui querelæ Dominus Chriſtus tale præſumi poteſt dediſſe reſponſum. Vidi certamen, vidi agonem tuum, nec ſpectator ſolum aderam, ſed adiutor: & quoniam pro meo nomine non exhorruiſti prælium victorem & Martyrem vniuerſo orbi, Polonis vero Proto-Martyrem & Patronum glorioſum te fore decerno, corpus tuum nouis

radijs,

radijs, & luminaribus cæleſtibus illuſtratum, abſque cicatricum nota volo eſſe integrum, Angelorum illi deputo cuſtodiam, triplicata laureola te adorno, virgineo corpore referente de hoſte triumphum.

CAPVT XXVII.

Aulæ Regiæ inſultationes, & miracula ad corpus S. Stanislai cum eius ſepultura.

OCciſione viri Beati Staniſlai Epiſcopi tam crudeliter & tyrannicè ſecutâ, in graues lacrymas & lamenta primum, deinde ad immenſam exultationem & gaudium vniuerſa Cracouienſis prouocata eſt mater Eccleſia: gaudebat ſiquidem propter confeſsionem & conſtantiam ſui Pontificis, quòd fortiſsimum de ſe agonem præſtiterit: flebat propter viduationem quod tam ſpecioſum & decorum præ filijs hominum ſponſum ſibi doluerit ablatum, gemebatq; & in gemitu ſuo ac ſuſpirijs per ſingulas noctes lectum lacrymis rigabat, erant iuges lacrymæ in maxillis eius, hoc ad gemitum accumulans quod nemo reperiretur ea tempeſtate, tam arcto ſanguinis aut familiaritatis vinculo, tam ſancto atq; ſolenni officio, Staniſlao Epiſcopo coniunctus, ſed nec ex viris Eccleſiaſticis aliquis tanto zelo & caritate impletus, qui aut publicè luctum edere, aut iuſta funeri ſoluere, aut corpus ſacrum colligere & in Eccleſiam maiorem imò nec in quamcunq;

inferre, aut liberam vocem emittere auderet. Singuli metuebant, singuli erubescebant, singuli refugiebant solennitatem luctûs implere. Nemoq; mutire ausus est præterquam in angulis & tenebris, in timore etenim hoc sibi totum Regius vindicauerat terror, pœnali edicto prohibens, ne cui corpus Beatum colligere, aut humare liceret, & quos luctu affecerat, lugere non sinebat, singulos vetebat mœrere, neq; publico, neq; priuato officio corpus sanctum: periisse illum existimans quem pro Christi nomine crudelis mucro consumpserat, maximumque luminare etiam post mortem exterminare conatus, gestiens grandi animi æstu, sacros artus, & carnes Pontificis à feris, alitibus, & canibus deuorari. Ad eleuandum insuper facinus Regis, ampla in Sanctum à Proceribus & satellitibus, non conscientiæ impietate compunctis, nec affectu parricidij mitigatis, facinora adulterina, mendaciorum commentu congesta sunt, & Pontificis occisioni iniquæ insultatum, grauia in illum crimina, vt viri sancti obscuraretur nomen viperino ore coniecta. Et dum vera criminationis causa non suberat, calumniosis illum conati fuscare figmentis, maligna in eum cæperant sarcire mendacia, & in solatium perpetrati facinoris falsis criminationibus, vitam infuscare conati sunt Sanctissimi Pontificis, concinnatis virum Dei satagentes fœdare opprobrijs: quod vt facilius

lius proueniret & in credulitatem humanam defigi poſſet, veriſimilia vitiorum nomina Staniſlai virtutibus calumniatores obiectabant, peruertere quoq; ſancta eius opera, aut ſi id minus procederet fuſcare, æmula ſanctitatis iniquitas contendebat, figmentorum funiculo, & faceti ſermonis argumento. Eumque non Pontificem non Præſulem ſed preſſorem, Opiſcopum opibus deditum non Epiſcopum, impoſtorem non paſtorem ſpiculatorem non ſpeculatorem, mercenarium non ſponſum, lupum non paſtorem, non mentium ſed renum ſcrutatorem, aliaq; multa quæ ſolent calumniatores & inuidi iactare voto nequitiæ procatiore, & in conuitia ſemper armato, ogganiendo calumnioſis detrahentium labijs, & venenoſis adinuentionibus factionum appellabant, multiplicibuſq; ſarcaſmis nitebantur, Staniſlai ſanctitatē inceſſere & tradere facinus Regium obliuioni, non Regem tantumodo ſed & ipſos dedecorans. Hæc vero criminationum figmenta diuulgare Rex Boleſlaus iuſsit tam in dictis quam infactis, æſtimationem eius laudemque ſubrui ſatagens, & penitus exterminari. Cuius omnis ad hoc tendebat intentio, vt viri ſancti opinionem violaret famamq; deijceret inuidens Athletæ veritatis & iuſtitiæ appellationem Martyrij pariter & honoris, adeò vt foret Staniſlai nomen omnium ſalibus aſperſum, omnium ludibrium iocuſq; menſarum. At non magnus illæ Diuinæ prouiden-

tiæ

tiæ oculus quieſcit in longum, & mentiens ſibi imprudentia, viri ſancti operationes & merita fuſcare nequiuit, neq; celebrem illius valuit dehoneſtare agonem, cuius lux tanto lucidiùs emicuit, quanto illam humanus conatus & manu & lingua fuſcare & extinguere laborauit ſtudioſius, cum enim nihil reliquum apud homines rebus Staniſlai Epiſcopi ſupereſſe viſum, Omnipotentis Dei prouidentia imbecilles hominum mentes periclitari deſperatione extrema paſſa non eſt. Continuo Dominus poſt peracta certamina poſt expletum agonem, mirificare cæpit Sanctum ſuum, & quicquid in eius ignominiam, & dedecus impius Rex decreuerat in augmentum copioſæ laudis conuertit diſſoluens tyrannidis ſuæ machinam, & labia loquentium dolos & falſitates confundens. Cum altera poſt occiſionem viri Beati Staniſlai illuxiſſet dies, & Boleſlaus Polonorum Rex ſuiq; ſatellites, & milites, ſceleris in Pontificem ſanctum patrati conſortes cæteriq; qui eorũ aſſentabantur facinori, corpus Beatum à ſe conciſum & diſperſum credidiſſent à feris alitibus, & beſtijs conſumptum è quatuor mundi partibus quatuor raræ formæ raræq; magnitudinis viſæ ſunt aduolaſſe Aquilæ quæ diſiectos cuſtodituræ artus paſsionis loca, & membra corporis Beati circumuolitando ſublimius ſingulariq; ſedulitate vultures, coruos cæteraſque beſtias & alites à contactu Sacri corporis abigebant, viſi præterea

rea à quibuſdam viris pietate & Religione præſtantibus nocte cædem martyris inſequente, miræ rutilantiæ cæleſtes radij, in vniuerſas conciſi corporis partes deſcendiſſe, & fulgorem ſuum diei ſubſequentis diluculo coniunxiſſe. Totq; in ſingulis locis ſupernæ luxerunt lampades, quot Sacri Corporis diſiectæ fuêre partes, quibus tam euidentibus ſignis demonſtrauit, altiſſimus, tot militem ſuum cumulaſſe coronis, quot illum mortibus tyranni truculentia quantum in ſe fuerat deſtinaſſet. Tunc quoq; iniquitas os ſuum primum contraxit cum ſanctitatem Staniſlai Epiſcopi cæleſtibus, declarari miraculis agnouit, vt Sanctum illum iuſtum, atq; Deo carum, cæleſtes tunc clamarent lampades, dum malignorum illum etiam extinctum inſectarentur contumelijs cauillationes. Triduo itaq; hæc prodigia non rumore ſolum vulgata, ſed frequenti viſione à fidelibus conſpecta in admirationem & religionem verſa, nonnullis deuotis patribus Eccleſiæ Cracouienſis Prælatis, & Canonicis atque Laicis numero quidem paucis, ſed fide integris & religione multis iniecerunt curam, fecerunt auſum vt partes Sacri corporis colligerent, & iuſtâ conderent ſepulturâ. Nihil itaq; Regis atrocitate & edicto deterriti, ad locum paſsionis pedetentim tamen & pauide accedentes, partes corporis quas funeſtus ſatelles reliquerat varijs locis diſperſas, & vſq; ad eorum aduentum ab Aquilis diligenti

cuſtodiâ conſeruatas accuratè colligere ac ſedulâ prouidentiâ laniata membra & oſſa (in roſæ liliorumque, morem candentia & rubentia pretioſiſsimis gemmis cariora, & omni probatiora auro) apto & congruenti ordine ſpeciem componendo à qua reciſa videbantur ſimmetriæ corpus lacerum reddere geſtiunt mox mirandis ſuccedunt mirabiliora. Stupendum dictu, ſed ſuperno artifici & æterno ſuorum Athletarum remuneratori facillimum, ſubitò corpus ſacrum cæleſti medicamine in ſingulis partibus ſolidiſsime abſq; omni cicatricum nota compactum conſpiciunt. Itaq; longe, contra quam Rex impius cogitauerat ceſsit, illud ipſum corpus in mille diſiectum partes, & rictibus ferarum ad deuorandum expoſitum, Angelico ſeruatum miniſterio, & in primam ſpeciem (quod vix ab infidelibus credi poteſt) Diuino reſtitutum eſt artificio, vt crudelis conciſio magis illi contuliſſe videretur medelam quam pœnam. Apparuitq; corpus Martyris Dei Staniſlai, integrum & inſtauratum, omnibus ad admirationem omnibus ad reuerentiam. Quis enim non miraretur? quis non ſtuperet? corpus mille ſectionibus lacerum, ad ſolidi corporis redijſſe vnionem. Quis non expaueſceret membra ſingula quaqua verſus diſiecta non vi pigmentorum, non ſolicitudine amicorum, ſed cæleſti virtute ſua loca & proportionem repetijſſe & ab omnibus cicatricibus immunia eſſe.

Tunc

Tunc enim ſupernus medicus, de corpore ſui Athletæ, quicquid minaciſsimus Rex truncauerat, quicquid cruentus carnifex intulerat, deleuit & abſterſit, tunc contumelijs & cauillis militaribus, Corporis ſacri abſq; cicatricum nota redintegratio, & Aquilarum cuſtodia, & lampadum frequens ad buſtum ſancti deſcenſus ſufficienter reſpondit, & Sanctum Dei ab omni ignominia vindicauit. Vt in ſingulis illi gloriæ magnæ & excelſæ reſponderet claritas qui tam horrendam mortem & conciſionem pro fide iuſtitia & veritate pertulerat. Tam ſuauis deniq; iacentis & redintegrati odor fragrabat corporis, & tam immenſus, vt omnes eo complerentur. Cuius rei tam benigno ſpectaculo exhilarati fideles minus cunctanter corpus ſacrum ad Eccleſiam S. Micháèlis de rupella in quâ Sanctus Martyrium pertulerat (Regis enim Boleſlai ſæuitia etiam tunc illud vetabat in Eccleſiam maiorem inferri) cum debito honore & ſumma omnium qui huic officio adeſſe meruerant alacritate deferunt, ac ante fores Eccleſiæ in loco peruio & ſub dio tyrannidem Regis eiectionem Coporis ſacri veriti, ſine luctu, ſine comploratu, ſine cerimonijs, vili ſepulchro inferunt, & in tumba aromate referta ex more recondunt, & quam redintegrationem in Sancto corpore viderant, reuerſi ab officio funeris cunctis ſtupentibus enarrant. Quæ quidem ſpecies ſepulturæ in partem formidinis & terroris

Diuini, magis non prohibita quam conceſſa eſt, ex tot corporis Beati fruſtis vnus notabatur, manus dextræ defuiſſe ex indice articulus in proximũ lacum proiectus, ſed & hunc quoq; requiri atq; reperiri Diuina voluit miſeratio: piſcem enim qui illum glutiuerat, quocunq; ſe nando verteret, ſuperni luminis candor quidam ei ſupereminens, prodebat. Itaque facile ab vrinatoribus captus, adhibito in viſcera ſcrutinio, articulus qui deſiderabatur repertus, & reliquo corpori appoſitus magnitudinem auxit apud ſingulos miraculi: Sed & laci prædicti vndis, ex contactu Sacri corporis ſingularis (propitiatione Diuinâ) ab eo tempore attributa eſt poteſtas, vt ægritudinum variarum ſanaret paſsiones, & ſi quando ad vſus adhibeantur humanos, inficiunt illos potius quam explent, declarantes ſe illis aptas de cætero non eſſe & quodammodo naturam ſuam mutauiſſe, quòd dante Domino in ſequentibus, latius nos credimus explicaturos. Hæc erat pompa ſancti funeris, hæc ſepultura pietatis, Angelico primùm miniſterio deinde humano procurata, omnium Regiarum pomparum in ſumptu & officio celebrior. Prodibant iam tunc de nouo pugile fidei, noua gaudia, triumphalia innoteſcebant ſigna, vox fuſi tonabat ſanguinis, inclyti martyrij ſui clangebat tuba, terrà ſuauis aſperſionem non ſilebat cruoris. Regio Polonica nobili prædita bellatore reſonabat, certa fidei

præ-

præferens indicia, & digniſsima Sacramentorum monumenta, vnde lætati ſunt cæli & terra, grandis matri Eccleſiæ cauſa acceſsit lætitiæ, multiplex illi materia iucunditatis prouenit, habet vnde altiſsimo nouum decantet canticum, vnde imẽnſæ laudis hymnum Deo referat, vnde lætis animis gaudeat, vnde conditori debitas, concinat gratiarum actiones.

CAPVT XXVIII.

Eadem miracula celebrantur.

VArios Sanctos varijs legimus à Clementiſsimo Deo miraculis & virtutibus pro ſuis actionibus & meritis illuſtratos fuiſſe. Huius autem viri Sanctiſsimi Stanislai Cracouienſis Epiſcopi, & in vita & in morte Sanctitas, & meritum tot prodigijs & oſtentis declarata & illuſtrata eſt, vt pæne hominum credulitatem excedant, quis enim non miretur, virum Beatum, poſt triennales cineres Petrum militem ſuſcitaſſe? & Boleslai Regis deſtinatos milites ad mactandum virum Dei ter conſternatos, ter retroſrum corruiſſe? cum & Lazarus à Chriſto Domino noſtro reſuſcitatus tantummodo quatriduanus extiterit, & Iudas Iſcariotes cum Iudæis IESVM Chriſtum Dominum noſtrum comprehenſurus, ſemel tantummodo retrorſum ceciderit. Quis non miretur pretium raræ virginitatis illum in omni vita, mente & corpore cuſtodiſſe.

Quis non ſtupeat corporis ſacri in mille diſiectas partes Angelorum veriùs quam Aquilarum miniſterio, à quolibet ferarum contactu nocte & interdiu conſeruatas ſupernis luminaribus illuſtratas fuiſſe, & Sanctum corpus tam frequentibus conciſionibus lacerum perfectam redintegrationem etiam ſine nota cicatricum reſumpſiſſe? ſiquidem iſte Martyr inſignis & celeberrimus, qui cum in corpore mortali ſidus luxiſſet viuentibus matutinum, nunc heſperus fulget vitâ functus mortuis, qui cum fide, miſericordia ſtudio, vigilantia, atq; omnibus inſtitutis Religionis Chriſtianæ ſupra pæne homines viguiſſet; perfectus in verbo & in omni eruditione, omnes aduerſitates & iniurias imperterritus tyrannidem etiam impauidâ mente perpetiens propè ſupra cæteros Sanctos clareſcere meruit, multiplicibus prodigijs, hic eſt qui in omni vita ſua vir vitæ Angelicæ extitit, & tam mente quam corpore integram virginitatem gerens. Virgo vſq; ad conſummationem Martyrij permanens, & pro Dei atq; Eccleſiæ populiq; iniuria, cæteris Epiſcopis Prouinciæ Polonicæ omnium aliorum vicem & negligentiam ſuppleturus, in aciem diſcriminis plenam prodiens: & vſq; ad mortem pro veritate & iuſtitia agonizans, tam ſublimibus ab Omnipotente Deo meruit decorari prodigijs. Vnde non immeritò vniuerſa Catholica Eccleſia per orbem terrarum diffuſa ipſius

amplíſ-

ampliſsimam decantat laudem. Veri ſolis radius, ſpectator cæleſtis meritorum, Martyris & auctor eſt, & teſtis. In ſplendore corporis caſtitatem ſignans, quòd integrum reddit, amorem deſignans. O virum glorioſè humilem & humiliter glorioſum, qui ſuæ gentis fluctuantem puppim inter hoſtiles ſcopulos agens, fluctibus non poterat ſuperari aduerſis! quis mortuum, immo verò quis non glorioſiſsime viuentem dicere audebit? quem Deus primùm in terris viuere voluit vitæ raritate inſignem, deinde cæleſtibus glorioſo triumpho inuexit, & immenſam illi paraturus gloriam permiſit illum impeti, trucidari, mutilari, concidi; omnia membra ſcindi, diſsijci, feris deuoranda exponi; & cum omnibus putaretur deletus, repente & præter omnium ſpem, vis omnipotentis inclaruit, & quam gratum eſſet ſui corporis holocauſtum pariter illuxit, nam corpus omne minutatim conciſum, omni notâ cicatricum vacuum reſtituit, Angelicas deputauit lacero corpori cuſtodias, ad buſtum ſuum cæleſtes fulgere lampades fecit, ad inuocationem nominis ſui variorum morborum genera & plurimas ſanauit ægritudines. O quàm felix Pontifex? qui pro vna temporali vita eademq; breui & incerta ac mille ſemper caſibus expoſita, duas vt ita dixerim æternitates in præclaræ virtutis corona adeptus eſt; vnam videlicet in triumphante Ieruſalem, alteram in militante altiſsimis

in vtraq;

in vtraq; inscriptus nominibus nam illius virtutes & trophæa, cum omni perennitate apud mortales laudabuntur, æternum suorum operum præconium in omnes generationes, & inter cælestes Spiritus Seraphicum locum habiturus, nobilis viuendo, sed moriendo nobilior. Sanctimoniæ autem suæ, ex miris & rarissimis effectibus potest notari & deprehendi magnitudo: Nisi enim in cælo inter primores & Beatissimos Sanctos viueret, nisi singulari merito & celebri Martyrio excelleret; neq; corporis sui absq; cicatricum nota, neq; membrorum iam extinctorum fulgor sole lucentior atq; splendidior, neq; mirum in modum rutilantes lampades supra artus concisos refulgentes, neq; aquilarum cælestium munimine, neq; languidorum ad sui nominis inuocationem frequens & assidua medela, neq; insolita prodigia, quibus vir verè Apostolicus, verè Sanctissimus à Christo Domino declaratus est proueniissent. Exæquatus vir Dei Stanislaus est, quemadmodum perspicacissima tam credulitate, quàm coniecturâ rerum assequi possumus maximo inter natos mulierum Ioanni Baptistæ qui ferè totum quod de Ioanne prædicatur habuit cum illo commune. Nam vterq; ex sterili & diu concluso vtero progenitus, vterq; virgo, vterq; veritatis præco, & assertor, vterq; incestuosarum libidinum, & illicitorum connubiorum in Rege reprehensor, vterque venturæ iræ Dei nun-

nuntius: vterq; Prophetico pollens Spiritu vterq; ſanguinis pro lege Dei, iuſtitia & veritate prodigus, vterq; ſtupendorum miraculorum patrator, vterque heroicis virtutibus & ſanctitate coruſcans, vterq; in cæleſti gloria ſidus irradians, vterq; tribus redimitus laureolis. Ioannes ſolius IESV Chriſti teſtimonio declaratus eſt, Staniſlaus miraculorum congerie ſtupenda, Ioannis oſſa ab Hæreticis contumelijs affecta diſiecta, exuſta. Staniſlai corpus à Boleſlao Rege & militibus ſuis viris Belial, mille conciſionibus lacerum, feris & beſtijs ad deuorandum expoſitum. Illius index ab igne non poterat amburi. Huius à piſce non poterat conſumi. Vere itaq; Beatiſsimus, vere glorioſiſsimus, vere excellentiſsimus Staniſlaus noſter habendus & per ora omnium Chriſti fidelium, præcipue tamen ſuæ nationis Polonorum efferendus, & accurato honore atq; cultu proſequendus eſt, qui viuens varijs præluxit virtutibus, moriens innumeris è cælo effulſit prodigijs. In diem quoque præſentem aſsidua operando apud Polonos miracula, refulget paſsione ſua & meritis prædicans omnibus virtutem pietatis. O ter quaterq; Beatus, præſentibus & ſubſequentibus ſuffragijs gloriarum cui pro Iuſtitia, pro Religione glorioſiſsime contigit oppetere, & inſigne ſuæ fidei, Religionis atq; virtutis relinquere teſtamentum poſteris, non atramento ſcriptum, ſed ſanguine, non in tabella,

sed in corpore : non paucis, sed vniuersis, profuturum. Iam in tuto est neq; adiri à quoquam tyrannorum potest : iam Tribunalia cuncta transgressus, omnium mortalium minas ac truces vultus spernit, & in cineribus sui Martyrij quiescens, nouissimam tubam ad resurgendum in gloriam sempiternam cum corpore glorificando exspectat. Sopitus est qui mortuus credebatur in maiorem vitam translatus est, cuius memoriæ & nominis eradicatio de terra quærebatur. Securus quiescit : nemo est qui illum de cætero exterreat. Sacrati & triumphalis munere sanguinis profusione, non Cracouiensis tantumodo sed vniuersa Polonica nobilitata est Ecclesia, suo felici Martyrio magnificè insignita. Immo recte sanctum nostrum aliquid plus dixerim quam Martyrem, qui à militibus primo, secundo & tertio sacrarium ingredientibus ter Martyrium quantum in ipso erat, pertulit. Qui truncatus capite, & cerebro per pauimentum conspersо, nasi & labiorum abscisionem tolerauit. Qui ad extremum mille lacer frustulis Martyrij palmam rarissimam accepit, dum concisus non interijt, sed redintegratus effulsit. Qui cum putaretur consumptus, vt Lucifer exortus est, & quasi meridianus incanduit fulgor, eo certiora assecutus præmia, quò pro veritate fide & Iustitia acriora tolerauit tormenta. Quapropter Iustior veriorque præstita est nobis, prouida dispensatione altissimi de

occisione Sancti Dei materia lætandi, quàm dolendi. Nullum siquidem tam eius quam superioris & quod admirabilius nec postea secuturæ ætatis, Pontificem in Polonia Stanislao comparari posse censeo, aut Sanctiorem vitâ aut Religione feruidiorem in defendenda Iustitia & veritate, in reprehendendo Rege, in auertenda & repellenda oppressione; in colenda & manutenenda Religione, vir mansuetissimus & constantissimus fortissimus vir generosi & alti spiritus, dignus quem aggrederetur aduersitas, æquè in alios sæuitura nostræ & cuiuslibet alterius ætatis Pontifices, si paribus reperiret talentis dotatos & animo, non enim mollis & exigui meriti documento visa est virtus, vnquam constitisse, nec tuta & inertia cognita est, sed ardua & periculosa sectari.

CAPVT XXIX.

Rex cum complicibus facinoris, anathemate, totum Regnum Interdicto feriuntur à Gregorio VII. & pœnæ aliæ à Deo immissæ.

VAria post hæc & diuersa in diebus occisionem viri Beati Stanislai subsequentibus facies in pectoribus hominum nascebatur. Rex quippe Boleslaus cum suis Aulicis ijs præsertim qui se nefanda cæde viri sancti inquinauerant, facinus suum vt illi moris potestati est, multis modis leuare atq; extenuare conabatur,

à viris contra Eccleſiaſticis & pietati adſtrictis, mors Sancti indigne accepta lataq; eſt, & frequentius verbis quereliſq; liberioribus indultum, immò probris etiam plurimorum Rex inſectatus, quòd Princeps alioquin Chriſtiano inſignitus charactere, honore Regio & dignitate prædituſ, tam crudele tam tetrum & immane facinus attentaſſet: ex quo viciſsim Regis offenſa in pleroſq; ſecuta eſt non latens neq; obſcura; animi cæterorum affectus ſuos metu Regio comprimentium ineffabili confundebantur mærore, dum tyrannidem in ſanctum commiſſam, nec audire ſine cordis amaritudine, nec auditam recolere, ſine grandi exſecratione & triſtitia valerent. Euenerunt interim necem Sancti vindicantia vlterioremq; vindictam portendentia quam plurima. Nam noctibus aſsiduis ſepulchrum Beati viri Staniſlai ſupernorum luminarium & lampadum illuſtrabatur fulgore, quòd non à grauibus tantummodo & Religioſis viris, ſed paſsim quibuſlibet ipſiſq; carnificibus licebat cerni, dum verò lugubris nuntius occiſionis viri Dei ad ſummum Pontificem Gregorium ſeptimum perlatus eſſet, diu res pro ambigua habita eſt, diſſentientibus Papa Cardinalibus Chriſtum Domini à Rege cæſum eſſe, poſtea verò quam facinus horrendum tum literis, tum relatione ac teſtimonio plurimorum confirmatum eſt, in flebilem lamentationem Summus Pontifex ruens, quo rigore

quaue

quaue animaduerſione, Boleſlai Regis & ſuorum militum tam atrox & barbarum ſcelus plectendum foret deliberans tandem Regem Boleſlaum & milites occiſores viri Beati, & omnes alios quorum fauore, conſilio, aſſenſu, & mandato fuerat occiſus, auctoritate Dei omnipotentis anathematizat. Deinde Gneznenſi Archiepiſcopo Petro & vniuerſis Polonicæ Eccleſiæ Epiſcopis dedit in mandatis, quatenus in exſecrationem & pænam patrati per Regem & milites parricidij, Interdictum per vniuerſam Gneznenſem obſeruaretur Poruinciam, & tam Rex Boleſlaus quam milites ſceleris participes & conſcij, diebus Dominicis & Feſtis cum pulſu campanarum & candelis accenſis, publice & ſolenniter nominatim & expreſſe denuntiarentur interdicti & anathematizati. Vniuerſum quoq; Regnum Poloniæ interdicto ſubiectum generali, ſic vt præter Baptiſma paruulorum & pænitentias morientium, nullum in Eccleſijs & Parochijs Prouinciæ Gneſnenſi Eccleſiaſticum aut Diuinum officium celebraretur, nec decedentium corpora traderentur ſepulturæ. A Rege præterea Boleſlao & militibus occiſoribus atq; à famulis eorum nihil reciperetur ſponte oblatum ad Altare Eleemoſynæ nihil nomine admitteretur, nec illis aliquod impenderetur Sacramentum præter baptiſma puerorum & pænitentiam laborantibus in extremis: eam verò cenſuram in ſingulis locis ad quæ

extra Prouinciam Gneznenſem, Rex & occiſores cæteri & conſcij deuenirent mandabat quam diu illic præſentes morarentur, obſeruari. Regem inſuper Boleſlaum & Poloniæ Regnum, omni honore, dignitate excellentia regali priuauit, ac omnes Principes, Barones, Vaſallos ac ſubditos, ab eius ſubiectione & ditione abſoluens, obedientiam & ſubiectionem ſolitam ſibi exhiberi vetuit filijs quoq; nepotibus, heredibus, & poſteris militum, qui Sanctum occiderant, & qui auxilium, conſilium, vel aſſenſum in facinus patrandum præſtiterant, aſcenſum ad quælibet tam Eccleſiaſtica quam mundana benficia & officia, dignitates & honores (quatenus in Paterni criminis memoriæ aſsiduo rubore tabeſcerent) vſq; in quartam generationem interdixit beneficijs, officijs, honoribus, & dignitatibus priuauit habitis & habendis. Inhibens eidem Epiſcopo Gneznenſi Petro, & ſuis eo Epiſcopis Poloniæ, ne aliquem cuiuſcunq; gradus, præeminentiæ, aut ſtatus, in Poloniæ Regem coronare, & inungere audeant, Sede Apoſtolica inconſulta; Petrus itaq; Gneznenſis Archiepiſcopus, & omnes Eccleſiæ Polonicæ Antiſtites, mandatis Apoſtolicis perceptis, etſi grandia & amara viderentur. Tyrannidem quoq; Regis Boleſlai & militum haberent in formidine & reſpectu, (ne quid grauius in corpora eorum aut fortunas ſolita ſeueritate conſulerent) mandatum tamen

men Apoſtolicum tranſgredi non auſi, Interdictum & Anathema Apoſtolicum publicant. Et Eccleſijs ſingulis obſeratis, Diuinarum laudum organa, non ſine ſuo, Cleri quoq; & populi Polonici graui eiulatu ſuſpendunt: Regem quoque Boleſlaum & milites necis viri Beati participes, & conſortes denuntiant publicè & per nomina excommunicatos, anathematizatos, & interdictos. Reuelatum præterea fuit nonnullis pijs & Religioſis viris Diuino & occulto quodam oraculo, pro admiſſo in virum Dei Staniſlaum per Boleſlaum Regem & ſuos milites facinore, Poloniæ Regnum & Prouincias ei ſubiectas, in tot diuiſionum monſtra ſcindendum fore, quot Boleſlaus Rex per ſe & milites corpori ſacro inflixiſſet. Sed poſt aliquot ſæcula per Polonorum humiliationem & contritionem placato & propitiato Deo, ad ſpeciem Præſulis ſancti, omni cuiuslibet cicatricis notæ vacui, integritati reſtituendum. Cuius quidem oraculi denuntiationem, tunc notitiæ humanæ præſtitam, & proceſſu dierum veritati conſonam ſuccedens ætas vidit, noſtra quoq; nunc experitur & videt, & futura præſtante Chriſto Domino eſt viſura. His itaq; & quam plurimis alijs euentibus, in Rege & militibus patrati parricidij exiſtimatio cæpit refelli, & in pectoribus eorum quantumcunq; obſtinatis à ſaxeis quædam pœnitudo ſuboriri; viros verò Eccleſiaſticos & præſertim Eccleſiæ Cracouienſi Prælatos, Canonicos,

cos, & Miniſtros (præ facinoris immanitate, & quòd ſibi Pontificem Sanctum & Diuinum dolerent ademptum & quod præſentis atq; futuræ vltionis, Diuinæ ſigna conſpicerent, longa triſtitia detinuit, ac tunc primum liberioribus querelis multis quoque lamentis multo dolori ac gemitui indultum ad necem viri Dei deplorandam non in Cracouienſi tantummodo Diæceſi, ſed in vniuerſo Polonico Regno tunc & in Regem Boleſlaum & milites necis conſcios plura maledicta conuitia & imprecationes depromptæ & ſæuitia eorum multis modis exaggerata, quæ omnia Regem & milites velut furentes & audaciam ſceleris recolentes graui pænitudinis aculeo decoquebant, ominatos more ingenij humani non ad longum Dei iudicia (quæ parricidali ſcelere meruerant) quietura intimâq; iam mentis pænâ vrebantur dum memoria reatûs fieret vnicuiq; ſupplicium: Et quamuis de varijs domibus generibus, & familijs, varijq; munerantur milites, cædem viri ſancti cum Rege vna peregiſſe, immanitas quoq; ſceleris ſingulos qui aderant, Regis obligaret, miniſtros & ſatrapas, parricidij tamen ſumma magis coarguit, milites de quatuor familijs & generationibus, qui ampliorem in illo parricidij facinore geſſiſſe feruntur Principatum, videlicet Babatum cum cruce, in campo cæleſtino, item fluuium Srzeniawa cum cruce, & qui ab ipſis ſciſsi ſunt ſimplicem fluuium

ſine

ſine cruce in campo rubeo, qui ſe Druzyna appellant. Item ſtrepam in campo rubeo pro inſigni deferentes; quorum ſucceſsio & progenies in hanc diem apud Polonos manet, ab ijs frequentiora probra ſpargebantur. In hos quoq; cumulatoria congerebantur conuitia, quaſi hi & feruidioribus viribus & magis præproperis auſibus in necem ſancti crudelius cæteris graſſarentur & animum Regis ſuâpte præfurentem & incenſum, ad maturandum facinus incendiſſent.

CAPVT XXX.

Regis & Satellitum mutatio, atq; remorſus conſcientiæ.

ANathemate quo per Gregorium Papam Boleſlaus Poloniæ Rex pro parricidij ſcelere damnatus fuerat neglecto, priuationem quoq; Regni, & interdicti Eccleſiaſtici ignominiam nihili pendens: Regem ſe integro geſsit triennio adſtringens ſubditos ad ſuis parendum imperijs. Conqueſtus ſe & Regnum ſuum parùm percùlſum Anathemate iuſto, neq; pro occiſione vnius Epiſcopi ſua temeritate & culpa occiſi tot pœnis fuiſſe mulctandum, plures cauſas ad ſceleris patrocinium prætendebat, quòd quidem triennalis temporis ſpatium reor benignitatem Diuinam Regi vt pœniteret & conuerteretur, pro ſua benevolentia condonaſſe & mira ſuæ pietatis liberalitate viuendi tempora in triennium produxiſſe. Obſtinatus in ſuâ

pertinacia Rex, quamuis Petrus Archiepiſcopus Gneznenſis & cæteri omnes Polonici Pontifices placandam ſedem Apoſtolicam & nuntijs ſolennibus deſtinatis per conuenientem expiationem ſatisfaciendum pro ſcelere perſuaderent, defractarium præbebat corripienti indignum & turpe ſibi dicens ad percutientem & admonentem atq; ſalutem ſuam deſiderantem conuerti, percuſſuſq; non doluit, & attritus retinuit accipere diſciplinam, exiſtimans ſe ab omni periculo ſecurum, nec ab aliqua calamitate oppreſſum iri, ſingulas ſuas actiones caſui & temeritati permittens, & nihil ſalutaris conſilij aut concipiens aut admittens, vt nemo dubitaret illum propter facinus parricidij, quo ſe inquinauerat, omni (qua ante pollebat) prudentia & induſtria omni deniq; recto & ſano ſenſu exutum eſſe agnitionemq; & expiationem delicti prohibebat felicitatis ſuæ, quondam magnitudo, & poteſtas imperij, laudis & ſapientiæ quæſtu ante perpetrata facinora opulentus, poſt verò omnium reprehenſionum morſibus expoſitus: Cuius nomine nihil ante nobilius: nihil glorioſius, parricidio cõmiſſo nihil humiliùs, nihil ignobiliùs: inter ſceptra & diademata quondam floridus nunc apud proprios & cæteros deformis: à felicitate quoq; fortunæ cuius curſum in eam diem plenis velis tenuerat, in abyſſum decidens infortunij, & ruinæ, partarum rerum cumulum quibus auitam pa-

ternamq; gloriam vel transcenderat, vel æquauerat, vnius facinoris patratione dissoluit & æternas sibi maculas inusit quas reliqua vita non potuit diluere. Quamuis autem Boleslao Regi Anathematis, & interdicti censuræ forent admodum molestæ, magis tamen descensu luminarium & lampadum ad bustum viri Dei, & prodigijs curationibusq; ad inuocationem sui nominis prouenientibus offendebatur. Confictum verò rumorem super his ad se delatum ratus, num verus & commentitius esset experturus, speculam arcis Cracouiensis conscendens, luminaria supernè, lampades descendere atq; corpori sacro venerationem impendere claro visu deprehendens sanctum probris lacessere destitit, & sibi vehementius pro admisso in eum parricidio (molem sui facinoris tùm primum recognoscens) timere cæpit, præsertim cum & contemptus suorum in eum indies glisscens affligeret militum, & exsecratio non ignota exterorum. Atq; hic solus luminarium vel lampadum cælestium conspectus sufficere debebat, ad emolliendum cor saxeum & obstinatum. Esto enim prioribus quidem diebus propria spe illum mulcente & militum assentatione: tenue se in occisione Episcopi reputauerit crimen admisisse, paruamq; occisionis, minorem vltionis, nullam futuri temporis tam sibi quam regno suo perniciem & dedecus allaturum, in suis consilijs, visus sit rationem habuisse, ni-

hilominus cum processu temporis videret, contra ac ipse ratus prouidentiâ Diuinâ Sanctum suum prodigijs mirificante animos militum & subditorum à se alienatos : se quoq; in odium contemptumq; maiorem delabi furore immoderato ferebatur : ac tum in loco iræ successit æstimatio licet sera, tùm sentire & intelligere cæpit, quantum virum quantum Sanctum quam sibi & Regno vtilem, quantum suæ salutis zelatorem, quàm priuato etiam sibi officio venerandum, crudeli carnificio extinxisset, & rerum à se gloriosè gestarum decus corrupisset. Iam siquidem tum Rex deferuescente ira postquam is quem oderat esse desijsset, liuore in commiserationem transmutato magnitudinem facinoris sera æstimatione expendere cæpit, & nunc personam occisi, nunc causam occidendi scupulosiùs rimatus, anxietate mentis & Spiritus torquebatur. Subibatque vehemens pœnitudo & acerbitas animum quod virum sanctum & cælestem, suæ salutis suique honoris seruatorem & custodem, non vera tantummodo sed vtilia sibi ingerentem, detestabili carnificis ministerio trucidasset, nec trucidare contentus ictibus minutissimis excarnificatum confecisset, nec in Rege tantummodo sed in procerum militumq; suorum peccatoribus eadem pœnitudo, eadem commiseratio (dispulsâ inuidiâ & metu suborto postquam sanctum viderant mirificis signis claresce re) versabatur sagaciq;

vitio

vitio potius quam ingenio humano tranſacta operoſius rimabatur quaſi futura præuidentes id eſt per facinus in ſanctum admiſſum omnem ſuam gloriam, omnem poſteritatem, omnem deniq́ue vna ſecum æſtimationem corruiſſe & pacem. Satis itaq́; dolendum imo deflendum eſt Boleſlaum Regem tam fuiſſe diuerſum, vt in ea parte qua trophæa de plurimis gentibus & regionibus, à ſe aut deuictis, aut ſub iugum miſsis, & de pecuniæ cæterarumq́; rerum (quæ mortales inter prima ducunt) contemptu & liberalitate eximia in omnes diſciplina quoq́; militari (quam ſeruaſſe geſsiſſeq́; ſcribitur) neminem inter Reges Poloniæ habeat æqualem. In ea vero parte qua ſe impura & obſcæniſsima libidine polluit, qua Matronis parturientibus catulos, pignoribus abiectis adhibuit, qua municipes ſubditos multiplici tributo grauauit, qua correptionem ſalutarem contempſit, qua Sanctum Dei Staniſlaum obtruncauit, nemo in deformiores prauitates videatur prolapſus, nemo amplius à Deo reprobatus, nemo iuſtiori odio ſuorum inſectatus. Non aliæ autem res in Rege pepererunt furores in Deum ac homines graſſantes, quàm nimia felicitas, opes ingentes atq́; diuitiæ, quibus ſatius fuit caruiſſe. His enim concitatus peregrinos & barbaros mores induit, his in prohibitas & damnatas voluptates defluxit, his ineſcatus nullis ſalubribus monitis (ne libitis vteretur pro licitis) ſe-

circumagi pertulit, his postremo in Christum Domini sceleratas manus egit, his nobile Regnum fædauit & disperdidit, sæuoq; scelere vniuersum Regni Poloniæ decus confudit, & quicquid priscorum Regum atque Principum virtute partum & ordinatum fuerat, eo solo parricidio corruit deprauatum, pernicieq; Regni ex ipso Rege, vnde minus exspectabatur erupit. In Deum ac Religionem eius sceleratior, incertum relinquens an in Patriam, quàm illo tetro facinore prostituit pessundedit, violauit, & gloriam eius decerpsit, euertit & tædam auernalem, ac luctuosam longo tempore arsuram in Rempublicam Polonorum & genus suum iniecit. Ab eo siquidem tempore turbo tenebrosus Regnum Polonicum inuoluit, & fragore horridæ tempestatis, adeo illud quassauit, vt splendore Regni amisso in varia dissensionum monstra prolapsum, mutua cæde, hostili inuasione, & Principum multiplicatione sibimet necteret interitum. Vnica enim illa Stanislai Episcopi nece Polonicum Regnum omne decus suum quæsitum, & quærendum in plures ætates & generationes amiserat: ob id siquidem, vnicum parricidij, in Sanctum Dei scelus, arbitror Deum auersatum gentem Polonicam & Regnum & non collisionum tantummodo & cædium ciuilium opprobrio iusto suo iudicio illam mulctasse, sed & honoris diademate supra Annos ducentos & ex tempore priuauisse, Regniq; eorum

eorum Principatus & dominia exteris nationibus & finitimis Principibus in vſurpationem & direptionem tradidiſſe. Sed & Regio honore (quem tanti temporis mora ſubduxerat) Polonis reſtituto, in progeniem Regiam furor indignationis Diuinæ comprobatus eſt non quieuiſſe; tribus tantummodo Principibus, videlicet Præmiſlao, Vladiſlao, & Caſimiro, ſtirpem & originem Regum vetuſtorum Poloniæ ducentibus, in Regno Polonico regnare permiſsis, quanquam Præmiſlaus breuiuſculo & pænè prærepto regnans tempore, extero homini regnandi ſuper illum Principatum vſq; in diem hanc poteſtatem conceſsit. Et licet ad vacans (per mortem Ludouici primi ex domo Franciæ orti) Regnum Semouithus Mazouiæ Dux, item poſt Annos ſexaginta ad orbatum Principe ex morte Vladiſlai tertij (qui dimicando cum Thurcis Anno Chriſti ortus Milleſimo quadringentiſsimo quarto glorioſo martyrio occubuit) Regnum Boleſlaus Mazouiæ Dux concordi Eccleſiaſticorum & ſæcularium voto fuiſſent electi & deſignati, & dies pro vtriuſq; coronatione in Cracouienſi Eccleſia & vrbe indicti, in vtriuſque tamen locum non ſine ſtupenda Diuinæ diſpenſationis voluntate vtrumq; reprobante, & Regio cenſente indignum throno, exteri Principes Lithuanici generis, ſuffecti; quaſi nondum ad plenum Sacroſancti Staniſlai Pontificis ſanguini fuiſſet, tam diu-

turna

turna propriorum & naturalium Principum excluſione, parentatum; Diuina quoq; Maieſtas quæ ſe Polonorum genti per reſtitutionem Regij diadematis propitiam & placidam exhibuit, Principibus tamen Polonicis nondum ſe in ira indignationis ſuæ, aduerſus illos (pro occiſione viri Beati Stanislai & alijs forte factis) conceptæ monſtrat quietatam: progenies quidem continuata eſt, & continuatur in Ducibus; verum in Regibus Deo permittente diſcontinuationem accepit.

CAPVT XXXI.

Externorum Principum & populorum rebellio contra Boleslaum, & ſubditorum odia atq; coniuratio.

TErtius iam poſtea quam vir ſacer Cracouienſis Epiſcopus Stanislaus, ab impio Rege Boleſlao occiſus fuerat, decurrebat annus, per omne tamen tempus illud nulla ſtudia oriri viſa ſunt prouidendi, aut ſuccedendi Cracouienſi qui ex morte Beati viri vacabat Epiſcopatus. Nemo enim tam claro, tam Sancto, tam glorioſo audebat ſuccedere Præſuli, nonnullos reſpectus auertebat Regis ex quo ſucceſſorem indubitata præparatum in ſuis animis deſtinabatur. Cæteros ciuile & inteſtinum bellum propediem exoriturum concutiebant. Accedebat & Summi Pontificis Gregorij ſeptimi grauitatem apertam redolens

ſen-

ſententia, Cracouienſi ſedi alium negabat ordinari Epiſcopum: & Clero ac populo Cracouienſi ſuffici ſibi Antiſtitem frequentiùs poſtulanti, inexorabilem ſe exhibebat. Omnium tamen prædictorum maior fuerat apud ſingulos anxietas, interdicti per vniuerſum Poloniæ Regnum obſeruatione, quæ pectora vniuſcuiuſq; graui decoquebat mærore, & in Regis Boleſlai exprobrationes & conuicia accendebat, qui Pontificali ſanguine pollutus, diuinam & humanam contra ſe genuſq; ſuum aduocauit cenſuram. Sed & Regem Boleſlaum ſecreta mentis nunquam ſciens quieſcere proſequebatur pæna, ſolaque reatus ſui recordatio, ſibiipſi extabat ſupplicium, dum aſsidua meditatione volueret atq; reuolueret quod breui illo & (vt ſibi blandiebatur) nihil vltionis habituro Carnificio, non ſibi ſolum ſed & poſteritati progenieiq; ſuæ dedecus conciliaſſet & reprobationis Decretum quo gloria Regni omnis decidit in poſteros transfudiſſet. Conſcientia itaq; in ſceleratum obſtrepente, non quietem, non cibum, non ſomnum, ad libitum capere poterat, quin etiam per ſoporem furijs commiſsi parricidij, ſua ſecum ſcelera reputans, conſcientiæ ſuæ ſtimulis & pænarum impendentium ſpeciebus agitabatur, neq; ex amicorum perſuaſionibus & conſiliis meliora illum (quam quæ mente hauſerat) ſperare iubentium poterat capere lauamen. Neq; conſcientiam ſceleris quan-

quam militum & amicorum confirmaretur ſolatijs deponere, quoniam vitiorum ab eo patratorum altior illi ſenſus inſederat. Ex fornicationibus quippe in adulteria poſt in damnatam venerem exſecrabilis vitij Sodomitici, à quo conſequenter in parricidium, & ad extremum in contemptum & quandam deſperationem grauiſsimo præcipitatus collapſu, oſtendit vitia connexa eſſe, & ad vnius inquinationem niſi celeri diluatur pænitudine, cætera ocius ſuperuentura. His igitur vitijs Boleſlaus Rex ſibimet gradum ſtruxit in præceps, his lux Regni Polonici velut nube atra obſcurata primum ab eo, deinde depulſa, ad extremum exterminata eſt, & omnis ſuæ quondam claritatis, & excellentiæ, omnis Maieſtatis & potentiæ, omnis gloriæ & munificentiæ machina diſſoluta, felix quoq; & viridis tam ſuus Regni ſui olim ſtatus & conditio, dùm cuncta illi ex ſententia cederent, ad magni opprobrij & abominationis ſpeciem deuoluta, cum & pleræq; Ruthenorum Prouinciæ ab eo ſubiugatæ, iugo ſubiectionis abiecto, tributa illi & conſueta negarent vectigalia, & in proprijs proceribus in dies illius ſerperet odium & contemptus. Vt enim ſeſe habet vulgi maximè militaris mobilitas, compunctio de patrato ſcelere creuerat, & Rex factus inuiſus ſuis omnibus in quorum pectoribus parricidij ſcelus Diuino nutu recruduerat. Tumultuari Regnum cæpit, reſq; publicæ in

ſalo

ſalo diſcordiq́; actione & ordine verſari. Nemo ſiquidem ex primoribus Baronum & procerum reperiebatur, præter paucos criminis participes, qui Regem aſpiceret, quin ingemiſceret, & nemo foret qui non ſuum exſecraretur principatum, nemo qui interitum illi & mortem non imprecaretur, ſinguli illum quaſi peſtem & infelix Regni auſpicium oderant, vitabant fugiebant, deteſtabantur, adeo inſuper odium & procerum & popularium in illum efferbuerat, vt plurimi in ſuam necem aut captiuitatem coniurarent, non aliter ſe Regij diadematis decus & inſigne, non aliter ſacrorum vinculorum relaxationem, non aliter deniq́ue Diuinæ vltionis ſenſim gliſcentem auerſionem, quàm eo perempto aut capto rati obtenturos. Intelligens itaq́; Boleſlaus Rex impia & ſcelerata facta ſua neq́; ſuperos neq́; homines laturos, & ob ſcelus parricidij in ſanctum commiſsi, veloci ſe vindicta peti, & grauiſsimo omnium ſuorum iudicio ſe opprimendum iri mærote fortiſsimo & acerbiſsimo quaſſabatur. Subibat nimirum mentem conſiderationemq́; ſuam, hinc Diuinæ vltionis iudicium, peccata in plures generationes plectentis, hinc metus pænarum, illinc facinoris in ſanctum patrati recordatio, illic Diuina & humana perſecutio, quæ illum adeo vexabat decoquebatq́ue vt à mærore & conſcientiæ verme pænè videretur ad interitum confectus, & ſæpe amicorum auribus confeſſus

exagitari se parricidiali specie, & vmbris ac Phantasmatibus furiarum. Tunc scelus impium, truculenta inuidia, maleuolentia inaudita, quibus in necem viri Beati grassatus est, oculis suæ mentis & corporis non sine grauissimo & pœnali conflictu obuersabantur. Tunc primum coram amicis confidentius profiteri cæpit per nefandum & exsecrabile parricidij scelus à se patratum, non quietis, sed turbulentissimi motûs, non pacis, sed belli, non amplitudinis, sed egestatis seminarium iniecisse, & se primum, deinde genus suum & patrium, Regio diademate & excellentia spoliasse, cladibusq; miserabilibus iusto Dei iudicio ob necem viri Dei exorituris, Polonorum Regiones pessundedisse, periculosum errorem sibi, & patriæ, & qui de omnibus vitæ suæ & annis & actibus omnem gloriam decerpserit clamitans admisisse. Tum vir alioquin magnanimus qui se in bellis & certaminibus fortem & vegetum præstiterat pauore consternabatur ingenti, hinc iudicij Diuini, illinc liuoris humani vltionem, iam adesse, iam instare reformidans, non tamen se ad pœnitentiam lacrymarum reflectebat, quæ illi propitium ac placabilem effeciſſet Deum, si vel post necem Pontificis sapere potuisset.

CA-

CAPVT XXXII.

Boleslaus cum filio ſuo & complicibus parricidij in Pannoniam diſcedit, vbi à canibus laceratur, in venatione feras inſectatus.

HOrridam tempeſtatem pro parricidij ſcelere Boleſlaus Poloniæ Rex videns aduerſum ſe eſſe coortam, mentem eius recordatione facinorum intus aſsidue excruciante, contemptum ſuum & liuorem intelligens continuo augeri ſe præterea ſuarum prouinciarum Præfectis inuiſum, ac dura nimis ſorte conſtrictum, conuerſationis ſuæ confuſionem perpendebat & quid ſceleris admiſerit ſecum ipſe reputans, parricidium gerebat in oculis, perturbationem in animo. Hinc indignatio quod innocentem peremiſſet in miſerationem vertebatur. Vrebant ſiquidem anxiam mentem varia vndiq; conuicia, omne genus probri, non ſomnus oculis, non quies animo poterat obtingere, ægra præcordia, aſsiduo dolore & gemitu altis quoq; ſuſpirijs coquebantur. Verba interdum Rex ſpirabat ferocia, mens tamen ſua ex conſcientia pauida ſpectabatur, lucem præſentem ſuorum & vitam peroſus, & iniucundum trahens ad ſingula ſpiritum conſpectum & præſentiam ſuorum, ac eorum qui in ſuam cladem coniurauerant machinationes euitare conabatur iuſtiſsimo & maximo ciuium odio quàm primùm

ſatisfacturus, profundo inſuper ad extrema inſtigatus pudore, Pannonicam adoriri fugam, non ex contritione ſceleris, ſed declinandi turbinis exorti, & exorituri gratia, decreuit. Illam enim regionem & fugæ ſuæ, & ſorti in quam detruſus fuerat arbitrabatur amplius congruere. Congeſta itaq; auri graui quantitate, Filium duodennem Mieciſlaum qui cæteris fato abſumpſis vnicus illi reſtabat, & Borzywon filium Mſte cæteroſq; omnes milites, qui ſecum vna Sanctum Dei Staniſlaum excarnificauerant, ſecum ducens (extrema illis ſuo diſceſſu ſi in Polonia relinquerentur, veritus inferri) relicto regno, relicta Patria, relicto diademate, relicto ſolio & vxore, impietatis conſcientia perurgente, in fugam verſus, exilium ſibimet doloris ſtimulante magnitudine coactus inferre, velut is qui in caritate procerum nihil fiduciæ reponebat, qua deſtitutus, militum iaculis aut venenis coniuratorum formidans ne conſumeretur, celerrimo & clandeſtino curſu, Maieſtati Regia ſeruili veſte adumbrata, ne à coniuratis comprehenderetur oculos tenens lacrymis ſuffuſos, animum ſuum increpans, (qui illum in tam nefarium auſum ſæui parricidij impegit) relictâ Cracouiâ quaſi effugio eluſurus Deum, mente conſternatus & alienato ſimilis, Pannonicam adorſus fugam, ad Sanctum Wladiſlaum Hungariæ Regem affinem & Alumnum ſuum tandem ſuſcepturus illic ſuum fatum,

per-

peruenit. Ab hoc magno honore exceptus est, & aliquanto tempore sanguinis & hospitij præstiti ac præstandi, atq; vicissitudinis iure (Boleslai enim Regis Poloniæ potentia, impensis ac brachio in paternam hereditatem se profitebatur restitutum) iusto fauore tractatus est. Magnitudinem autem sceleris sui apud Sanctum Wladislaum Hungariæ Regem & suos proceres extenuare conatus, multa & varia Sancto Dei impingens facinora, iure illum à se cæsum deducebat. Qui tamen omnium inspectorem Deum neq; sermonibus ad diluendum facinus quantumcunq; vafrè compositis neq; Pannonica secessione & latebra potuit effugere, sed dignas præsumptionis suæ accepit pœnas dum illum finis comprehendit insperatus & exitiosus. Excellentiam enim suam Regiam in Wladislai Hungariæ Regis & suorum Procerum æstimatione, (propterea quod exulet parricida esset, clandestina submurmuratione in suum interdum penetrante auditum) diminutam non ferens & tam suorum quam exterorum contemptu & fastidio stimulatus, conscientiæ insuper verme ampliùs quam dum in Polonia ageret excruciatus: Ex Rege quippe factus exul, ex diuite inops, ex glorioso contemptus, non facilis ei erat toleratum illa mutatio. Velut qui ad id rudis & inexercitatus habebatur. Secundo itaq; anno sui exilij subito languore correptus & in amentiam versus, in Alpium siluas,

nemo-

nemora atq; in loca auia digressus (perosus homines, & digno iam constrictus parricidij sui merito, maturam flagitij sui vltionem subiturus) vbi discurrens à propriis canibus, illum tantummodo comitantibus, dum fessus & anhelus animam morte repentina exhalasset, comestus, & deuoratus, teterrimo illo supplicio affectus, impiam vitam digna morte finiuit. Et quoniam salubriter monentem contempsit, iuxta Iob vaticinium stultitia consummatus interijt, dignumq; moribus & factis suis exitum vitæ inuenit, atq; impijs operibus suis pares adeptus est euentus, dignus ea pæna, qui Fidem sacrilegio, pietatem parricidio pudicitiam incestu violauerat. Præpotens certe Deus hanc sibi pro impietate sua congruè aut iustissime inflixit vicissitudinem atq; pænam, qui enim Sanctum Dei Stanislaum extinguere, & memoriam eius de terra delere decreuerat, ipse extinctus & deletus est, qui illum exilio mulctare tentauerat, is sibi exilium coactus est inferre, & in amentiam versus turpi morte interire qui Sanctum conuicijs & probris incesserat, ipse diris exsecrationibus, & in vita & in morte insectatus est, qui Corpus sacrum minutatim concisum feris & alitibus vorandum iactauerat, ipse propriorum canum rictibus discerptus ipsorum pabulum & esca fuit, & quid quid tyrannidis, crudelitatis, & ignominiæ Sancto intulerat, id sibi illatum cum admiratione & tremore vniuer-

sorum

ſorum hominum, opera Dei recto iudicio rimantium, præſens agnoſcet ætas & poſtera. Tunc lux impij extincta eſt, & flamma ignis eius ſplendere deſijt, qui à concilio maligno præcipitatus tam horrendum exitum inuenit, vbiq́ue territus, vbiq́ue ſtupori habitus, vbiq́; ſpretus, vbiq́; contemptus, denotans magnitudinem patrati in Sanctum Dei facinoris, per qualitatem vltionis, & in eius quantitate maculam Regij exprimens facinoris. Nec vlla retributio ſubtilior, diſtrictior atq́; æquior illi poterat impendi. Itaq́; Boleſlaus Rex Poloniæ, voluptatibus & illecebris carnis ipſi etiam damnatæ veneri (ſupra cætera flagitia atq́; dedecora ab eo patrata) alijs quoq́; paſsionibus carnis & ſpiritus indulgens, omnem ſuam & Regni ſui celebritatem, ſimul cum vita amiſit, & præcipiti gradiens via acerbos comprehendit exitus, cadauer eſca volatilium & deuoratio canum. Staniſlai Pontificis ſpectata vſq́; ad crudeliſsimam conciſionem tum fides, tum conſtantia, gloriam ſempiternam ſub omni perennitate habitura laudabitur. Boleſlaus Rex in dedecus prouolutus teterrimum, acceptam à maioribus lucem in denſiſsimas tenebras conuertit. Cuius nomen totaq́; Regia progenies exterminante Deo diſperijt. Staniſlai agon & virtus omnium ſeculorum memoriæ infixum, terra pelagoq́; ab vniuerſa effertur, colitur, celebratur & cantatur Eccleſia. O quam ſa-

tius contigiſſet tanto Regi; ſi ante parricidium ſuam & Regni perniciem auerſurus vita exceſsiſſet feliciora etiam poſt fata & cineres officia & munera ſortiturus. In Alpibus enim atq; ſiluis quibus per Diuinam vltionem interijt, nulla plangentium tantum ac talem Regem conſpiciebantur ſeruorum agmina, nulla militum aut clientium pompa, nulla amicorum, nulla affinium aut cuſtodum corporis turba, nulla matronarum aut virginum cohors, nullum ſepulturæ pretium, nullus ſplendor funeris. Tantâ iuſtiſsimo Deo permittente damnatus ignominiâ, vt negato illi etiam cuiuslibet terræ profanæ loculo inter canum pulmones ſepeliretur, non aromatibus conditus aut Regio mauſoleo, ſed ſtercore & fætore obrutus, quàm fædè quam turpiter vixerit tempus, locus, conditio, tam mortis quam ſepulturæ luculenter monſtrauêre. Sic iuſto cenſore Deo per quæ ſceleſtus ipſe Rex peccauit, per eadem torquebatur. Qui enim canes ad ſugendum lac humanum, ac torquendum vbera fæminarum ex ſua feritate præcepit, infantulos vero à matrum papillis auulſos ad canicularum lactationem applicari ferociter iuſsit, æqua lance dignum extitit, quatenus faucibus beſtiarum laniatus, ſic à feris efferus conſumeretur comeſtus. Sedula deniq́ue diligentia notandum eſt, quanti labores quot conatus, quanti ſumptus & ſudores vno parricidio ceciderint exhauſti cum vna tranſ-

greſ-

gteſsione Rex præcipitatus & Regnum. At Boleſlaus Rex maximo Regibus, Principibus, proceribus, Poloniæ eſſe debet documento ne ſucceſsibus & potentia rerum ad nutum eorum fluentibus ſuperbiant, ſed ſe humiles & remiſſos præſtent, nec propter decus generis aut ſanguinis, aut partas victorias inſolentius ſe gerant, ſed cum timore Diuinam de ſe opperiantur ſententiam, in quem finem aut inuidiam ſit euaſura eorum felicitas ne aſſentationibus ſatellitum iras eorum mulcentium inſoleſcant, ne in tranſgreſsionum ſuarum iuſtos reprehenſores aliquo nubilo concitentur, ne in fundendo ſacerdotali ſanguine præpropero & feruido vtantur ingenio ; Ex ruina Boleſlai Regis intellecturi, Imperia & potentiã omnem quinimo & ſenſum præuaricatione in Deum facile amitti, impletione vero ſcitorum Dei ſeruari. Boleſlao Rege abſumpto grauiora in illum prioribus tam Procerum, quam popularium iactabantur conuitia, grauem illum & crudelem fuiſſe, ſuperbe & iniquè imperitantem, tyrannum magis quam Regem, tributis grauaſſe regionem, catulis matronas affeciſſe, libidine naturam violaſſe. Mortis verò & caſus eius formidinem ſimul & fidem conſors Regia accipiens, miſerabiliter deplorare cæpit, ſe ad hos fecunditatis & vitæ fructus reſeruatam, vt probris mariti oneratas geſtaret aures, & in viridi ætate, illius priuaretur conſortio, nec ſupremum officium ſol-

uere illi posset. Ferunt nonnulli mortem (quæ Boleslao Regi raro accidit casu) fabulæ ad nostra vsq; tempora deriuatæ locum fecisse. Quæ astruebat illum inter siluas Pannocinas viuum esse & ob atrocitatem sceleris in sanctum comissi, vultures & alites sanguinarias carnes suas quæ per dies excrescerent per noctē deuorare & absumptas renasci, atq; post expiationem sceleris, tandem in Poloniam reuersurum & in ea regnaturum. Non solum autem in Boleslaum Poloniæ Regem, sed in milites suos parricidij consultores & participes Diuina desæuiebat vindicta, vario enim cruento mortis genere, pro sceleris parricidialis magnitudine & meritorum grauitate consumebantur. Progeniem insuper eorum multiplici languore casibus infortunijs, passionibus Diuina insecuta est ira, quorum exemplo maximè Diuinum numen formidandum est alijs, qui contra ius fasq; agere non verentur.

CAPVT XXXIII.

Boleslao succedit frater eius Vladislaus Hermannus interfector Miecislai, qui erat filius Boleslai, & ab interdicto Polonia liberatur, atq; Ecclesiæ Cracouiensi Episcopus datur.

SVccessit Boleslao Polonorum Regi memorato & parricidæ post turpem suam & domus suæ labem, ex parricidio, fuga & morte turpissima contractam, Wladi-

Wladiſlaus, germanus ſuus cognominatus Hermañus, natu minor, & qui Regno (duobus natu maioribus Caſimiro & Otthone immatura morte abſumptis) vnicus reſtabat, tam in Regnum Poloniæ quam in omnes Principatus Polonicos & Dominia, benedictionis tamen & diadematis honore caruit. Nec ſe Regem Poloniæ inſcribere aut nominare auſus tantummodo ſe Dominum & Heredem Regni Poloniæ (quod & nos in ſuis originalibus literis vidimus) appellabat. Petro Gneznenſi Archiepiſcopo propter prohibitionem Summi Pontificis ſibi & ſtirpi ſuæ vnctionis & conſecrationis ſuæ Regiæ munus impendere denegante, quaſi decus Regium, & faſces illius, homini non Prouinciæ tributæ fuiſſent. Ex quo tempore ſciſſa fuit, in plures Principes per longam ſeriem Regni Polonici & dominationis eius hereditas. Principatum autem Regni Poloniæ, Wladiſlaus Dux vniuerſorum approbatione ſortitus, cum eſſet vir raræ & ſpectatæ deuotionis & religionis in Deum & Eccleſiam & ex caſu præcipiti germani ſui Poloniæ Regis Boleſlai plurimum ſibi & ſtatui ſuo metuens, officia quæq; in fidem & Religionem Chriſtianam intenderat, primo id agendum curauit, vt interdictum Eccleſiaſticum ob necem Beati Pontificis Staniſlai poſitum à Regno Poloniæ & à Cracouienſi Eccleſia (quo in eum præmebatur diem nemine cum digniſsimo Patri Staniſlao

in tot rerum fluctuationibus ſuccedere auſo) orbitas & viduitas tolleretur. Et quia Interdicti cenſura ex Sedis Apoſtolicæ auctoritate prouenerat, nuntios ſolennes Eccleſiaſticos & Seculares Romam ad Gregorium ſeptimum tranſmittit. Quorum aſsiduis precibus Gregorius ſeptimus expugnatus; cum & Boleſlaum Regem Poloniæ Sancti viri occiſorem pro comperto accepiſſet, de Poloniæ Regno in exilium ad Pannonios abijſſe, & illic in amentiã verſum interij eſſe, & Fratrem ſuum Wladiſlaum in Principatus & dominia Regni Poloniæ ſucceſsiſſe, & interdictum hactenus in Polonica Eccleſia continuatum ſuſtulit, & Lampertum Gallicum virum ſibi à pluribus annis cognitum, & in negotijs officijſq; Curiæ Romanæ ſincerè verſatum, in Cracouienſem Epiſcopum ordinauit. Redijt non multo poſt Mieciſlaus Dux Filius Boleſlai Poloniæ Regis cũ Baronibus & proceribus Poloniæ qui vna cũ Rege patrati in virũ Dei facinoris conſcij in Pannoniã exulatum ierant. Per Wladiſlaum Poloniæ Ducem patruum Germanum (ne in contumeliam & vituperium Regij ſanguinis ſtipe aliena cum militibus illum ſequentibus viuere cogeretur) in Poloniam ad natiuas ſedes erat reuocatus. Verum ob vxorem ex Principibus Ruſsiæ acceptam & propter vegetius ingenium, quo illum iam tum ſcintillare plures notauerant, & propter prolem ſuſcipiendam maligna æmulatio procerum Poloniæ (eorum præſertim

qui in Patris ſui necem conſpirauerant, verentium ne paternas iniurias in ſe aut ſuis filijs vlciſceretur) veneno clam imiſſo adoleſcentem in primæuo ætatis flore ſuſtulit, & quaſi quoddam futurorum Zizaniorum germen eridicauit. Morte tam imatura, paternæ impietatis creditus exoluendo continuaſſe ſupplicia, & graues pro delicto Patris dediſſe pænas, ad quem ob paternum delictum, non Regni ſed odij, atq; vltionis, & mortis immaturæ notata eſt peruenisse hereditas. Supremis verò ſuis dum in Cracouienſi Eccleſia per genitricem adoleſcentis magno comploratu eius exceſſum plangentē, & per Vladislaum Ducem patruū ſuum gererentur parentalia magnus honos datus eſt, magna multitudine agreſtium ad cohoneſtandum ſua funeralia ex agris decurrente, in quorum pectoribus tam Boleslai quam filij ſui Miecislai nuper demortui deſiderium inualuerat, more ingenij humani quo ea quæ abſunt vehementius cupimus, quæ adſunt negligimus. In morte autem Miecislai Ducis omnis ſtirps Boleslai olim Regis Poloniæ lineam directiorem attendendo (vt ſermo viri Beati Stanislai, quod id ſibi longe ante vaticinio fideli prophetici ſermonis prædixerat, veritate probaretur) abſumpta eſt, & impletum eſt ad literam quod in Beato Iob de iniquo ſcribitur. Non erit ſemen eius, neq; progenies in Populo ſuo, neq; vllæ reliquiæ in Regionibus eius. Sic Vladislaus Dux cognomento Hermannus

nus vniuersi Regni Polonici Monarchiam sortitus. Sub cuius nepotumq; regimine breui permutata est regni facies, disturbantibus & scindentibus Regnum Polonicum Principibus, non propagantibus at grauibus exactionibus, dationibus, & tributis illud prementibus. Ciuilia quoq; bella non externa gerentibus, & propter egestatem subsecutam fines Regni, qui à vicinis Principibus occupabantur, tueri necquicquam valentibus, vt in locum fæcundæ segetis, ac letæ vineæ, squallens & senticosus campus consurrexisse notaretur: Polonorum insuper Regio ab honestissimo & excelso Regiæ dignitatis fastigio, in humilem abiectamq; sortem decideret, à iure Regum in ducum iura (quæ annis plusquam ducentis non sine graui bellorum ciuilium stridore, schismatum atq; alienationum dedecora pertulit) conuersa: multo disparem statum & rerum speciem sub ducibus, quàm sub Regibus, Monarchiam suam scindentibus & eneruantibus, sortitus. Ego verò cum ob necem viri Beati Stanislai Regnum Polonicum Regio fulgore spoliatum, fasces diadematis illi detractos, cladibus ciuilibus inuolutum, & in varia principatuum, & diuisionum monstra scissum, plures Prouincias à corpore suo auulsas & omne suum decus, atq; robur elanguisse conspicio, in eam dubitationem compulsus redigor, præuaricatione ne tantummodo Regia, an etiam populi Polonici facinore,

hæc

hæc ipſa mala, quæ in annos prope ducentos durauerant accidiſſent. Sed ſi verum fateri volumus & Regis & populi ſcelus, ad inferendam vltionem, Dei iuſtitiam coégit. Nos itaq; qui priſca tempora (quibus Polonorum Regnum varijs atterebatur iactationibus) non vidimus, ſed miſeratione Diuina, in tempora meliora (ſub quibus redintegratio Regni Polonici magna ex parte prouenit) incidimus Præſulem noſtrum digniſsimum Stanislaum omnibus virtutũ munijs præſtantem veneremur, cuius etſi victorioſum agonem vniuerſus orthodoxæ Religionis populus, ſupplici deuotione concelebret, inſuperabilem tamen eius pro fide, pro Religione, pro libertate patiendi conſtantiam lætior Polonia miratur, veneratur, & honorat, cui eſt vehementiùs in eius martyrio gloriandum, per cuius preces & merita redintegratio ipſa prouenit, & in futurum creditur plenius pròuentura. Eius nos mores, vitam, conuerſationem, religionem, conſtantiam, patientiam, omneſq; virtutes quoaduſq; nobis per gratiã altiſsimi conceditur ſequamur veſtigia vt eius precibus & ſuffragijs ad ciuium ſupernorũ conſortiũ mereamur pertingere; quòd nobis ex merito ſuæ paſsionis concedere dignetur, Deo Patri per omnia, & in omnibus coæternus, conſubſtantialis, & coæqualis IESVS Chriſtus, cum eodem Patre & Spiritu Sancto vnus Deus æternum regnans, per ſæcula benedictus, Amen.

TRACTATVS SECVNDVS.

VIta Beatiſsimi Martyris & Præſulis Stanislai ieiuno & tenui ingenio vtcunq; per propitiationem Diuinam contexta, ſeries & ordo tam dicendorum quam promiſsorum exigit, vt ſequentium ſuum felicem agonem miraculorum ordiamur initium : hoc tamen exordio dicendi præfari mihi liceat, quòd non omnia ſancti miracula (maturius enim tempus, quàm res, me deſereret) deſcribendi animus eſt. Sed tantummodo vulgatiora & inſigniora, & quæ ad noſtram peruenere notitiam. Plurima enim exſtabant & tam numerum quam fidem excedentia, quæ integro Martyrium ſuum ſecuto eueniebant decennio. Sed omniũ illorum tam magnitudinem ſtupendam, quàm progreſſum & qualitatem partim metus Tyranni Boleslai Poloniæ Regis, (dum triennio apud Polonos Viro ſancto occiſo imperabat) ſubduxit, partim ſuccedentis Principis Vladislai germani (Regis Boleslai prohibitio caligine obliuionis inuoluit ; Nemine ea quæ ad inuocationem nominis viri Beati frequenti & aſsidua iteratione proueniebant, audente efferre & publicare ſed nec annotare & in ſuccedentem ætatem tranſmittere miracula. Vir enim Dei Stanislaus viuens mortuuſq;

tuuſq; ſuarum virtutum merito vniuerſis ad admirationem effulſit, aſsiduis clareſcens prodigijs, quæ etſi fuſcare obſcurareq; maligno improborum hominum, & horum præcipue qui illum trucidauerant, conaretur improbitas; Id tamen vnum neq; contaminare, aut ſugillare, neq; contenebrare & contegere valuit, neq; obruere obliuione, quòd toto illo decennio paſſionem ſancti ſecuto, ad ſepulchrum eius continuis noctibus ſuperna, ſanctitatem eximiam Pontificis Beati teſtantia deſcenderint luminaria, & cæleſtes ad tumbam illius fulſerint lampades. Videbatur & Stanislaus à pluribus pijs & Religioſis viris, nocte & interdiu ad ſepulchrum illius excubantibus in Eccleſia Sancti Michàélis ad cuius fores fuerat tumulatus collucentibus lampadibus, & vniuerſam Eccleſiam luce mirabili illuſtrantibus, ad aram Ponficalibus indutus ſtare, atq; hominibus qui conuenerant benedictionis munus impendere, cum duobus venerabilium perſonarum choris, in modum coronæ illum circumſtantibus, Pſalmos decantare Dauidicos, & dulcem diffundere harmoniam, cineres verò aut lapilli ex eius ſepulchro ad ægros delati, plena conferebant languentibus ſanitatis remedia. Poterat autem Beatiſsimi viri annis paucis mortem ſuam ſecutis compendioſa & facilis prouenire canonizatio; quippe cui Petri militis poſt triennium in teſtem producti ab inferis reſuſcitatio, & Marty

rium, martyrijq́; cauſa, corporiſq́; minutatim diſlecti redintegratio, quàmlibet excludens cicatricem; aquilarum nocte & interdiu corporis ſui partes ne qua per feras auelleretur cuſtodientium, triduana tutela; lampadum inſuper & cæleſtium luminarium deceñalis fulgor, ampliſsimam & vberrimam ſanctitatis abunde præbebat materiam. Res omnes per eam tempeſtatem apud Polonos notiſsimæ atq́; vulgatæ, & quæ vniuerſali frequentiq́ue teſtimonio in Summi Pontificis conſiſtorio poterant fulciri. Verum digniſsimi Martyris canonizatio, adhuc recenti ſcaturientis martyrio quo magis poſt ſtupendo fulgeret prodigio, Principibus Poloniæ prohibentibus fuit impedita. Vnde nec Scriptores Annalium Poloniæ audebant ad liquidum, ſed nec ad ſpeciem cauſam martyrij viri Beati Faſtis inſerere; oculendo facinus Regium de damnata venere, ne videlicet futuræ ſoboli tam generis quam nobilitatis inureretur ignominia & in genealogia Principum Poloniæ turpis maculæ elogium, ipſam etiam ſucceſsionem Principum vehementer commaculans & deturpans poneretur. Ita vir Dei non viuens tantummodo, ſed & mortuus Principum Poloniæ, hoſtilitates & odia perferebat. Sepultoq́; & à rebus humanis abſumpto etiam atrox liuor & inuidia parabatur. Verum ager dominicus ſanguine Stanislai Epiſcopi quaſi grano puriſsimo ſatus, Poloniæ Prin-

cipi-

cipibus & quibuslibet poteſtatibus terrenis nequidquam aduerſantibus aut prohibentibns, in frugem & meſſem ampliſsimam conſurrexit, & fecundiſsima virtutum, meritorum & prodigiorum ſobole, & tunc germinauit vberrime, & nunc germinat propitio Deo in finem vſq; ſæculi germinaturus. Et cuius Rex vnus Poloniæ perſecutus eſt ſanguinem, hodie ſinguli Reges Principes & optimates Polonici peculiari ſe illius patrocinio proſperari adiuuari, & dirigi depoſcunt. Sed compara ſi libet quorumcunq; Imperatorum, Regum & heroum, aut trophæa aut triumphales arcus, aut funereas pompas, quantumcunq; magnificis ſiue ſumptibus, ſiue ſignis, tabulis, ſiue plauſibus, aut complorationibus traductas: magis tamen celebrem, magis famoſam, inſignem atq; diuturnam Stanislai funeris pompam reperies. Quem non per homines, neque ſimulatas laudes, neq; per plures & circumſcriptos dies, ſed per Angelos & iuſtiſsima præconia annorum plurimornm, non per cereos operâ apum effictos ſed per ſuperna lumina- ria & Angelorũ coruſcos atq; cæ- leſtium lampadũ deſcenſus, integro honoratum : credimus de- cennio.

CAPVT I.

Ad reuelationem cuidam Nobili fœminæ factam, Corpus S. Stanislai in Arcem Cracouiensem transfertur.

NOn destitit post hæc dextera altissimi mirificare Sanctum suum, sed illum contra intentionem humanam efferre cæpit. Decennio siquidem elapso cum ad tumulum suum fœmina Religiosa & nobilis Swantoslawa frequentes profundis noctibus ageret excubias, & Beatissimi Stanislai pro suis & aliorum necessitatibus explendis imploraret merita, solueret per iuges obsecrationes vota, altius illi deuotioni intendenti sopor quidam inter quietem & vigiliam medius irrepsit diluculo, & quasi in extasim quandam rapta, visa sibi est Ecclesiam Sancti Michaëlis ad Rupellam multo coruscam lumine introisse, eademq; ingressus sui horâ Beatum Stanislaum Episcopum Pontificali ornatum amictu, venerabilium personarum ordinibus illum ambientibus, illiq; assistentibus & suffragia ferentibus, rem Diuinam ad altare solenni officio agentem aspexisse & tam principio solennitatis & mysteriorum quæ à viro Beato agebantur, quàm fine affuisse. Quæ cum peracta essent fœmina illa accedere propius & omnem metum quo opprimebatur deponere iussa. Vtcunq; se ex pauore recolligens in tam venerandi cœtus accessit conspectum coram qua venerandus illi Antistes

tiſtes cæteris qui aſsiſtebant tam forma quam vultu & veneratione auguſtior, pluribus verbis queſtus eſt. Quod Polonorum & præſertim virorum Eccleſiaſticorum Cracouienſi Eccleſiæ Præſidentium deſidia & neglectu, tanti temporis ſpatio Corpus ſuum vilis pulueris tegeretur latibulo, aſſerens id tam illorum quam ſuæ ſorti non conuenire. Modeſtiſsimæ quoq; querelæ ſuæ patefacto nomine quis videlicet & qualis eſſet mandata adiecit. Ego ſum inquit Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus à teſilia in hanc diem deuotè & religioſe cultus, cuius rei merito gratia te mandatorum meorum nuntiam iudicaui dignam. Vade itaq; filia & ſucceſſori meo Cracouienſi Epiſcopo Lamperto & Canonicis Fratribus meis denuntia, ne me & Corpus meum amplius deliteſcere; oſſaq; mea in puluerulento tegmine conſiſtere patiantur ſub dio, ſed illud hinc in Cracouienſem Eccleſiam ſatagant (quo plus Deo venerationis, mortalibus verò beneficiorum accedat) transferre. Tam fideli oraculo nobilis & Religioſæ fæminæ, Swantoslawæ Lampertus Epiſcopus & Prælati Canonici q; Cracouienſes ad aures ſuas delato permoti, cui propterea facilem credulitatem præſtiterant, quòd illi plurimorum aliorum ſimilia referentium adſtipularentur teſtimonia, Principe Regni Vladiſlao Duce primum conſulto & permittente, transferri Corpus ſacrum decernunt. Solennitate ergo tranſlatio-

nis

nis instituta & pluribus diebus publicata, Sacri corporis busto reserato, quòd mirandam (dum detegeretur) spirabat odoris fragrantiam, Corpus sacrum & venerabile singulare orbis terrarum ornamentum, cum laudibus & lacrymis de terra leuant, & honestissimæ arcæ impositum in frequentia numerosi qui ex agris & vrbibus confluxerat populi, Sarcinam sacram Episcopo & Canonicis baiulantibus, quinto Kalendas Octobris Anno Dñi Millesimo Octuagesimo octauo transferunt, & in templo maiori Cathedræ in arce Craconiensi sitæ, quòd apud Polonos ornatissimum & maximum ea tempestate habebatur, Sancti Venceslai Martyris nomini primarie dicatum, cum omni debito honore & reuerentia, & in eiusdem templi medio pulcherrimo de Petra fabricato sarcophago, & lamina aurea de super contecto, quæ passionis Beati viri per insculptas imagines denotabat seriem, recondunt, cui & hos versus pro Epigrammate aureis literis inscriptos adijciunt,

Tumba Stanislai cineres tegit ista Beati
Regis Boleslai quia non fauit impietati
Martyrio meritas cæli migrauit ad ædes
Felix cui Deitas merces, cui sidera sedes.

Ab eo autem translationis tempore propter egregia & stupenda Stanislai Episcopi virtutum & prodigiorum facinora, Cracouiensis Cathedræ Basilica, titulo pri-

sco

ſco apud vulgares magna ex parte abolito, in Staniſlai nomen & titulum tranſijt, & Beati Venceſlai nomen ſupprimens, plus Stanislaum (quo ſui Martyrij felici illuſtrata cruore, plura de eo tamen, per oculos, quàm per aures cognouerit, & aſsiduè cognoſcit) colere, mirari, & venerari cæpit. Quem & Beatus Martyr Venceſlaus (pro illa largiſsima quæ inter Beatas animas æterno æuo, & contemplatione Maieſtatis Diuinæ fruentes, viget caritate) velut hoſpitem ſuum honoraturus, illi videtur exceſsiſſe hoſpitio, gloriarum per quas Staniſlaus in vita, in morte, & poſt, refulſit, non inuidus declarator.

CAPVT II.

Apparet noctu Pontificaliter in Eccleſia celebrans.

NE autem à maleuolis & inuidis maligna interpretatione facta Sancti viri ſuggillantibus, miracula in vita & in morte totoq; decennio mortem ſuam ſecuto patrata carpi poſſent, velut phantaſtica, & gloria ſplendorq; ſanctitatis ſuæ crederentur poſt lapſum decennij defluxiſſe, pietas Agni cæleſtis Athletam ſuum in vniuerſorum celebratura pectoribus, & quanti foret meriti quantæq; ſanctitatis oſtenſura, ſua (de viro Beato Staniſlao poſteaquam Eccleſiæ Cracouienſi lipſana Corporis ſui ſacri illata ſunt) ſucceſsione frequenti continuauit prodigia, non ſinens illa proceſſu

temporis in æstimatione mortalium extenuatione diminui. Et quoniam Polonorum conditio Diuinorum beneficiorum (quæ illi per suffragium Stanislai Martyris plus solito ea tempestate præstabantur) in gratia, plurima sancti miracula non perpendendo, neq; annotando vt celebrarentur, obliuioni contradidit; pauca de multis quæ sparsa in pluribus locis colligere poteramus, ante & post canonizationem gesta, in Christi fidelium solatium subijciemus. Anni quo Corpus sanctum in maiorem Ecclesiam translatum est finis, & sequentis initium agebatur. Cum noctium vnâ, sub primi temporis vigilia, pulsus omnium auditus est sonari ad Ecclesiam Cracouiensem campanarum, quarum sonitu Damianus Decanus, Ioannes Præpositus, Benedictus Scholasticus, cæteriq; Prælati & Canonici Cracouiensis Ecclesiæ, qui domicilia & mansionem in arce Cracouiensi sub id, temporis habuerant; cum arx & vrbs longo inter se (flumine etiam Vistula intermedio) distabant locorum disitæ interuallo à quiete expergefacti, & inusitati pulsus nouitate excitati, ad Ecclesiam concurrunt, nouitatem pulsationis quid contineret causæ vel mysterij quæsituri. Verum cum ostia Ecclesiæ clausa & repagulis obfirmata offendissent, maior illos cupido perquirendi in solitum campanarum pulsum incessit, & tam valuarum frequenti verberatione, quàm vocibus clamosis, custodes

ſtodes Eccleſiæ qui ſanctuarij apud Polonos nuncupari ſoliti ſunt aduocant (in ſortem enim Eccleſiæ, & in illius miniſterium, largitione Regum & Principum ab omni ſeruitute, labore, onere, & tributo liberiores facti, ſanctuario Domini perpetua ſucceſsione ſeruituri nomen ſanctuariorum ſunt ſortiti) cauſamque ab illis pulſus intempeſtiui exquirunt. Ex quibus etſi omnes accerſiti conſtitiſſent, duo tamen ſenio & æuo graues, qui cæteris quieſcentibus & corpora curantibus, in oratione deuota peragebant excubias. Piotrek videlicet & Gromaſa, Prælatis & Canonicis diligentius rem ſciſcitantibus reſpondent in hunc modum. Nihil inquiunt nouum & inuſitatum Patres ſpectabiles æſtimetis nos admiſiſſe. Neq; enim nos, neq; ſocij noſtri campanas ſonauimus, verùm procerto & comperto vobis exponimus, quod noſtris corporeis vidimus oculis. Beatiſsimum Stanislaum Epiſcopum aſsiſtente ſibi venerabilium perſonarum corona & ordine, ad Altare maius aſtare, rem Diuinam ſub noſtro aſpectu perficere; dumque hoc perficeretur campanas ſingulas abſq; noſtro & omni humano vſu atq; adminiculo, per ſe ipſas pulſari. Qua reſponſione à ſanctuarijs accepta, vnuſquiſq; in ſtuporem & admirationem verſus, celebrata Deo cum vberrimis fletibus gratiarum actione, in ſuum cubile redijt. Sed & in ſequentibus diebus præfatus Magiſter Benedictus

Scholasticus vita & opinione vir celebris, dùm pernox in Ecclesia constiteret; & Officium Matutinum longe ante præuenire solitus, victimam labiorum suorum magno deuotionis ardore Deo offerret, frequenti conspectu cum his quos nominauimus & alijs pluribus sanctuarijs, videre, promeruit Beatum Stanislaum Pontificali velatum amictu, cum multitudine illum circumstante Beatarum animarum & cælestium spirituum Diuina tractantem mysteria, & singula Ecclesiæ Altaria (collucentibus varijs quocunq; se Concio illa beata verteret lampadibus & cereis) circumeuntem, benedictionisq; munus impendentem. Sed tempus me admonet ad referendum eos qui ab inferis à morte ad vitam meritis & inuocatione Sancti nostri redditi sunt, & qui ab innumeris morborum generibus in quibus medicorum ars diu ne quicquam sudauerat, celeri facilitate ad inuocationem sui nominis curati & integrum restituti accedamus.

CAPVT III.

Cracouiæ puer sine Baptismo mortuus reuocatur ad vitam.

CVm Cracouiæ Richardi in eadem vrbe incolatum habentis coniunx Christina, quarta die Mensis Maij duos infantes, masculum vnum, fœmellam alteram vno partu viuos effudisset. Altero die mas antequam fonte Baptismatis renatus foret diem obijt: & vtramq;

vtrumq; Parentem graui mærore non carnis ſed animæ mortem deplorantium confecit. Pater autem maximè pueri Richardus de damno non caducæ ſed vitæ æternæ reſcindendo ſolicitus, ſepulchrum Beati Stanislai magna fide fretus adijt, & vberrimis lacrymis importunaq; prece Beatum Stanislaum, quatenus filiolum ſuum pro percipienda tantummodo Baptiſmatis gratia, ſua interceſsione in vitam redderet ſupplex inuocabat, eaq; ſpe impletus exanimẽ & omnibus membris rigentem filium ſepeliri vetuit, ſed ab hora matutina vſq; ad horam Tertiarum mortuum iacere permiſit: Quo vota preceſq; ſoluente, puer defunctus reuixit, atq; in Eccleſiam Sanctæ MARIÆ relatus, ſacro fonte ablutus, & vſq; in diem alterum viuens, tandem animam exhalauit. Magnoq; & geminato id ſolatio Parentibus fuit, quòd ex mortuo acceperunt viuum, & ex filio iræ, meritis S. Stanislai, ſalutis æternæ conſortem & heredem effecerint, filiationem conſecutum adoptionis Diuinæ, ad ſalutem & ad voluntatem ſuam abundè meritis Sancti Stanislai exauditi.

CAPVT IV.

Nobilis filius mortuus vitæ, mater eius infirma ſanitati reſtituuntur.

COrreptus languore graui Vithkerus filius Venceſlai militis de Polukarczice heredis, cum in die Beati

Martini Confeſſoris antelucano tempore infirmari cæpillet, inualeſcente ægritudine circa ortum ſolis; altero die vis morbi (non proficientibus omnibus quæ ingerebantur remedijs) extinguit ægrotum. Cumq; ad perſoluendum iuſta funeri longe propeq; poſiti inuitarentur cognati, placuit vſq; in eorum aduentum inſepultum cadauer ſeruari. Quem morem apud ſingulos Polonicos nilites etiam videmus in præſentem diem durare, qui carorum ſuorum cadauera ſub amicorum & conſanguineorum conuentu ſolent tumulare. Tardius autem cognatis aduenientibus genitrix defuncti Sthronisława nomine ex morbo quo ipſa pariter ſub idem tempus vexabatur & ex morte cari filij in eius oculis extincti, vehementius afflicta, de inferiore cænaculo in quo cadauer iacebat filij exanimis ſe iuſsit (ne conſpectus cadaueris augeret ſuapte grandem dolorem) in aliam habitationem efferri, atq; illinc vniuerſis Miniſtris excluſis, lacrymoſo eiulatu & gemitu Sanctum inuocare cæpit Stanislaum, & pro ſui à morbo eliberatione, & pro filij vita reddenda, vouens ſe Sanctum Dei, & eius ſepulchrum, hoſtijs, oblationibus, & largitione multiplici (ſi eam voti compotem efficeret) honoraturam. Cum verò in oratione vehementius effuſa & morbo fatigaretur & ſub ſolis occaſum ſopore preſſa ſterteret potiùs quam dormiret, vir quidam canus & venerandus illi apparuit, & blande eam allo-

quens

quens dixit. O mulier anxia & afflicta certa sis orationem tuam clementem Deum audiuisse & lacrymam tuam vidisse, suffragijs vero & meritis Beati Stanislai Pontificis glorioſi & Martyris, quicquid petieras obtentum esse, ac proinde hac nocte & tu ipsa à morbo liberaberis, & filium viuentem videbis, speciale votum sancto in cuius die infirmari cæpit filius, vltra ea quæ iam deuouisti præstitura. Lætior quam credi potest ea visione Sthronislawa effecta, cunctis qui ad funerandum filium conuenerant, illam enarrat; & in cænaculum quo defuncti corpus reliquerat reducta, lapillum simplicem qui ex tumulo Beati Stanislai sumptus fuerat pectori defuncti filij, adhibuit: Beato verò Martino quoniam in eius die filij ægritudo venerat votum vouit. Agebantur itaq; supra funus, tam Parentum quam vniuersorum qui conuenerant diligentes nocte illa excubiæ, & vnusquisq; visionis oraculum an illud impleri contingeret sedulo opperiebantur. Tandem in primo galli cantu, mortuus oculos cunctis stupentibus & videntibus aperuit, & denuo clausit. Cumq; tertia vice aperiens oculos oscitasset aliquoties, vniuersis per fletus & suspiria Stanislaum Beatum prædicantibus & inuocantibus, defunctus ad plenum spiritum, mater verò eius Sthroniſlawa bonam valetudinem ad integrum resumpsit Quamobrem vota & gratiæ diebus subsequentibus Beato Stanislao,

nislao, ad sepulchrum illius ex ordine multiplices, à Parentibus & à resuscitato in frequenti hominum & copiosa multitudine persoluta.

CAPVT V.

Hungari aduenæ filius mortuus suscitatur.

PRofecto ex Pannonia in Poloniam quæstûs, gratiâ Petro Hungaro, & in villa Mislawczicze in ædem Woyaszonis declinanti cum familia & consorte, filius eius vocatus Polech die Lunæ ante Palmarum Dominicam immenso cæpit languore vexari, die verò octauo morbo inualescente rebus absumitur humanis, iacebatq; ab hora tertiarum vsq; ad meridiem insepultus. Parente autem vtroque sine modo filium perfletus & lamenta lugente, ad sui hospitis Woyasz salubrem instructionem & instinctum, Beatissimus pro resuscitatione cadaueris suppliciter à Parentibus exoratur Stanislaus. Quibus vix orationem finientibus, vt miserationum Dominus famuli sui Stanislai merita longe lateq; (non apud Polonos tantummodo, sed etiam apud Pannonios) diffunderet, filius mortuus consurgit, & perfecte tam sanitatis quam vitæ adeptus robur, perfectius quam credi humana æstimatione poterat deambulare cæpit. Mox etiam comitantibus eum parentibus Cracouiam ad tumulum Beati Stanislai veniens votis quæ pro illius resuscitatione Parentes

rentes miserant redditis, magnam Sancto gratiarum actionem pro vita sibi collata habuit. In Pannoniam deinde reuersi Beati Stanislai in Regione illa sanctitatem diuulgant. Cæperunt igitur ex tunc cateruatim Pannonij suum frequentare sepulchrum, cum oblatione solenni, & varijs oneratos morbis, Cracouiam ad illum deferre, ibiq; plenam ad eius inuocationem suorum languorum percipere curationem.

CAPVT VI.

Nobilis eiusdem familiæ naufragio, & puella aquis suffocata, à morte liberatur.

ANdreas miles, Nobilis vir Damiani filius districtus Wratislawiensis Ensifer, de vna villa suæ ditionis in alteram cum familia, pignoribus & omni suppellectili transiturus, Odram fluuium plus tunc solito vndis inflatum transmeare volebat. Medias enim hereditates suas, interfluebat fluuius. Nutricem itaq; suorum duorum natorum, cum filio annum vnum habente, & filia quadrienni, iubet superare flumen. Cum Nauclerus Scaphâ nutrice & pueris oneratâ per flumen agens nauem, medium fluuij contigisset, vndarum vorticibus acta nauis, in truncum arboris impulsa, tam nauclerum quàm nutricem cum duobus pueris elisit, & aquis immersit. Periclitationem natorum Parentibus in ripa eminus prospectantibus, ingens acerbitas

oborta est, videbant enim natos periculo ineuitabili ab vndis confundi, & nulla illis humana ope succursum iri. In eiulatrices itaq; lacrymas tam ipsi quam alij qui coram aderant versi, altioribus fletibus quam vocibus beatum pro salute naufragantium interpellabant Stanislaum, offerentes se illi varia vota soluturos. Igitur ad Beati Stanislai inuocationem Nauclerus natando mortis imminentis euasit periculum. Infantulo verò & quæ illum complectebatur brachijs nutrici per nonnullos mortalium in nauibus occurrentes succursum est, puellula vnica cum aquarum impetu ferretur in præceps, clamor ingens stantium in ripa & vociferantium, ô Beate Stanislae salua illam, sublata est ac tumentibus vndis suffocata. Sed accuratâ nautarum diligentiâ (ad iactum vnius sagittæ amne eam deferente) reperta ex aquis extrahitur, & defertur extincta ad litus. Tum verò per alia nauigia ad corpus defunctæ puellæ accurrentibus parentibus) noua vociferatio, nouus gemitus attollitur. Sancto quoque Stanislao nouis lacrymis, nouis votis pro puellæ resuscitatione supplicatur. Parentibus autem ex multitudine hominum sexus vtriusq; (quæ ad id spectaculum ex vicis vicinis conuenerant) orationi & votis instantibus aqua multa de corpore suffocato erupit, puella oscitando oculos aperuit, & ad plenum reuixit, cum ab hora diei prima, vsq; ad horam tertiarum mortua, & suffo-

cata

cata iacuiſſet. Itaq; ſana & incolumis ad ſepulchrum Beati Staniſlai Cracouiam quemadmodum Parentes voto ſolenni deuouerant adducta, beneficium reſuſcitationis ſuæ, quòd per ſe non poterat, ore Parentum cunctis vulgauit.

CAPVT VII.

Idem puero Gedanenſi aquis ſuffocato poſt longum tempus reperto euenit:

TRium annorum puerulus in oppido Maritimo Gdansk Wladiſlauienſis Diæceſis, vbi Viſtula oſtio vno Baltico illabitur æquori, cum coætaneis ſuis in ponte ante arcem Gedanenſem ludens; infauſto caſu ex ponte in prædicti fluminis Viſtulæ præcipitatur aquas. Et antequam illi poſſet humano adiutorio ſuccurri, immenſitate ſuffocatus vndarum ad profunda amnis deſcendit. Diutius vero à nauticis hominibus & tam nandi quam nauigandi peritis quæſitus, non niſi poſt decurſum longi temporis cum difficultate ſub vndis repertus, ad Pontem ex quo in aquas corruerat refertur defunctus. Hic ex mora diuturnitateq; temporis liuidus in corpore vniuerſo, tumefactus & inflatus nullum vitæ reſtituendæ præferebat ſignum. Quod vbi nuntiatum miſeris eſſet Parentibus vterq; in flebilem gemitum ruens, vniuerſos Gedanenſes ad commiſerationem & ad concurſum commouit, & in locum

in quo puer ſuffocatus iacuerat deduxit. Et tunc apud Pomeranos (vnius enim Principis quemadmodum cæteræ Polonorum Regiones continebantur imperio) Staniſlai celebre nomen ex quo illum terra pelagoque varia beneficia inuocantibus, certò certius præſtitiſſe didicerant. Quapropter conformi voce, & voto quaſi ex compoſito inſtructos crederes, ſed quod ego magis reor inſpiratione prorſus Diuina à ſingulis Beati inuocatur patrocinium Staniſlai & magna vis illius meritorum interpellatur. Vniuerſis deniq; qui confluxerant pro pueri reſuſcitatione lacrymas effundentibus, & ſedula deuotaq; prece vota Staniſlao ſoluentibus, quatenus & Parentibus pueri doloris acerbitatem adimeret, & vniuerſo qui conuenerat populo ſuæ conſolationis gratiam præſtaret; ſubito de cadauere ſuffocati aqua erupit, & puero trahente oſcitationes & ſuſpiria, tàm liuor quam tumor à corpore defuncti dilabi ſenſim cæpit. Tunc itaq; cætus ille ſpe impletus optima, puras & ſacratas Staniſlai preces, gratiam euentumq; felicem ſortitas animaduertens, clamorem vt in tali re fieri conſueuit ſuſtulit. Conclamantibus autem omnibus qui aderant atq; IESV Chriſti potentiam & Pontificis glorioſi Staniſlai merita deuotiſsime implorantibus, puer velut graui è ſopore expergefactus oculos aperuit, & à Parentibus cæteriſque adſtantibus certatim ad eum ruentibus in pedes erectus,

ctus, & quasi nimio defatigatus labore constitit, Id quod omnibus videntibus illum post tam diuturnam mortem resuscitatum, fuit admirationi, deinde in ædem paternam turba ciuitatis illum prosequente deductus, incolumis ex ea die Parente vtroq; soluente vota permansit. Quamuis autem vt præfati sumus, Stanislai nomen dudum fuisset apud Pomeranos insigne & celebre, ex huius tamen quod referimus euidentia prodigij multo magis omnium mortalium pelago & in continenti habitantium pectora, in admirationem & sui venerationem atq; etiam inuocationem in varijs necessitatibus casibusq; terra & æquore emergentibus laborantes commouit & pertraxit Stanislaus. Cuius sanctitatis magnitudo plurimorum aliorum signorum sublimitate ad Oceanum Sarmaticum ex tunc refulsit.

CAPVT VIII.

Captus à Prædonibus & extinctus ad vitam reuocatur.

MArtino Nicolao, & Philippo laicis, ad limina Beatissimi Stanislai ob singularem deuotionem de eximijs à se circa illum auditis miraculis, & meritis, conceptam in cordis simplicitate & alacritate gradientibus, & Siluam Przegina ingressis, duo latrones prædandi gratia ex latibulis nemoris, armis & sagittis ex improuiso irruentes ipsos inuadunt, & Martino quidem ac Nicolao ex pauore diffugientibus solus Philippus,

pus, quoniam velut audacior cæteris nihil inuasione latronum deterritus opposuerat esse animosior sicque duobus contra vnum prævalentibus capitur, & ad interiora siluæ trahitur liberius indeuio spoliandus. Suffocari autem se & grauiter à latronibus videns constringi, ratus etiam sibi extrema imminere in corde suo quamuis anxiato & afflicto enixius vt poterat Beatum cæpit inuocare Stanislaum commendans se illi atq; obsecrans, ne sui nominis peregrinum veneratorem deuotum opprimi & excarnificari permitteret : ad quam precem illico se de latronum manibus ereptum sentiens, maiore fiducia & animo latronibus miraculum non aduertentibus, sed in illum manus iterum injcere tentantibus resistens, cum illis dimicabat. Qui etsi contra vnum egregiè prævalere cæpisset, ab altero tamen periculum socij amouente petitus, & mucronis vehementi ictu guttur illi & ceruicem præcidente perculsus, defluxit in terram moribundus. Ita non rebus tantummodo, sed & amictu à prædonibus corpus nudum, & truncatum iacebat humi despoliatum. Sed Beatus Stanislaus ne tunc quidem famulum suum deseruit extinctum, quin vt Martino videbatur in persona sua accedens, & vim pigmentorum adhibens, ceruicis & gulæ redintegraret scissuram & velut à somno imperaret consurgere dormientem. Qui subitò expergefactus & se nudum & spoliatum reperiens, gratia-

rium

rum actionibus immensis suum magnificabat celebrabatq; B. Stanislaum viuificatorem, continuatoq; itinere socios suos Martinum & Nicolaum prope Cracouiam consecutus, deinde Cracouiæ nudo corpore cicatrices tantummodo redintegratæ gulæ & ceruicis præferens, magnum de se miraculum ad spectandum præbuit. Narrans quoque in Ecclesia Crancouiensi quanta illi Deus per merita Beati Stanislai ostendisset miracula, qualiter enecatum & extinctum reuocasset ad vitam, omnium præsentium animos & pectora deuotione impleuit mirabili, nonnullorum verò ora & oculos lacrymis suffusos reliquit.

CAPVT IX.

Sacerdos cæcus visum subito recipit.

SAcerdos Wratislauiensis vrbis & Diæcesis Ioannes nomine Alemannus lingua & natione, assidua grauatus ægritudine, lumine oculorum priuatus, visum adeò amiserat, vt nec passum vnum incedere valeret, absq; puero ad regendum gressus suos deputato. Cui nocte vna in abstracto loco quiescenti, & de sua cæcitate varia trahenti suspiria, varioq; suæ orbitatis & miseriæ voluenti cogitatus, etiam sententia Euangelica ampliorem illi acerbitatem ingerens occurrebat, quod fodere non valeret & mendicare erubesceret. Inter illas autem cogitationes sibi vicissim succedentes, dùm in so-

in ſoporem verteretur, homo canus & veneranda facie per viſum illi apparuit dicens. Compatior ſeruę Dei mendicitati & orbitati tuæ, pro qua reſcindenda ſalubri conſilio vtaris meo, & te ac tuas Beatiſsimo Staniſlao neceſsitates deuouens, ſepulchrum illius quam primum adire coram feſtines. Interim verò omnem pecuniam in crumena tua reperiendam, per primum peregrinum qui occurrerit in oblationem ſancto futuram tranſmitte. Sed Ioanne Sacerdote Reſpondente & per animam ſuam iuſiurandum interponente, nullam ſe pecuniam de qua oblatio facienda foret habere, quærere illum iuſsit, certo certius reperturum. Presbyteritaq; magno exhilaratus gaudio, diluculo conſurgens, ſocio ſuo & compresbytero, Matthæo, quòd ſibi per viſum monſtratum ex ordine fuerat recitat, & quis nam ſanctus foret Beatus Staniſlaus, quantæ ſanctitatis quantiq; meriti ignotus enim ſibi in eam diem fuerat inquirit. Quo reſpondente Sanctum Dei Staniſlaum Cracouienſem fuiſſe Epiſcopum & pro lege Dei, iuſtitia atq; veritate ab impio Rege Boleſlao Polonorum cæſum, ſanctitate & ſuffragijs miro modo inſignem eſſe. Ioannes cæcus viſionis Religione & ſanctitate Staniſlai Martyris adductus ad credendum animum appulit, atque his verbis ad Matthæum ſocium vti cæpit. Quamuis inquit habeam compertum, nullam me poſsidere pecuniam, parituru
tamen

tamen mandato oraculi in peram manum mitto, reperiendam pecuniam, Sancto Staniſlao per Nuntium oblaturus. Et continuo burſæ manum immittens duos argenteos nummos protulit, eodemq; temporis articulo oculos per annos plures clauſos & cæcatos aperiens, & homines circumſtantes & nummos quos inſperate ex marſupio protulerat, proſpectans, in iubilationis & laudis canticum voce magna prorupit dicens. Benedictus Omnipotens Deus & Martyr eius Staniſlaus Pontifex Beatiſsimus, cuius beneficio profiteor hodierna die cæcitatis tenebris effugatis oculos meos apertos & illuminatos eſſe. Iam enim & qualitatem nummorum imaginemq; & ſuperſcriptionem, qua inſigniti ſunt conſpicio. Expreſsitq; figuram imaginum & ſuperſcriptionum: Ad Eccleſiam deinde reiecto ductore accurrens, debitas gratias clementi Deo & ſuo Martyri Beato Staniſlao redditurus, peregrinum Beati Staniſlai limina petentem & ad fores Eccleſiæ orantem offendit. Quem illico conueniens, duos illos quos repererat nummos manibus eius tradit Beato Staniſlao offerendos, deuouens ſe prope diem peregrinum ſubſecuturum. Puerum itaq; cuius ductu vtebatur, Parentibus magna opera Dei & Beati Staniſlai, ipſis & quibuſuis alijs narraturum remittens, comparato pro itinere viatico Cracouiam curſum arripuit, & concito gradu, & viſu integro perfunctus, ad tumulum Beati

Martyris Staniſlai perueniens, omnem ſuæ illuminationis grátiam, meritis & fauori Beati Staniſlai ſibi præſtitam ad omnium audientium aures publice propalauit, perſolutiſq; votis in penates lætus redijt, oculorum votiua integritate vſq; ad diem mortis incolumis.

CAPVT X.

Puer vlceroſus & cæcus natus, ſanus de integro redditur.

IAroſlai de Chelm conſors Gotuſcha nomine filium vlceroſum & cæcum effundens, animi dolore premebatur vehementi ex partu languido & prodigioſo, idem quoq; Iaroſlaum maritum habebat dolor. Nullæ enim infanti erant ſedes oculorum, nulla ſigna, tractus tantummodo quidam ſubtilis & exiguus inter palpebras medius apparebat, capitis & vniuerſi corporis cutis vlceroſa ſanguinem ſanie mixtum emittens. Cum autem die altero infans ad Eccleſiam delatus vnda Baptiſmatis fuiſſet perfuſus, Presbiter loci, cæcitate & vlceroſitate horrenda pueri conſpecta, parentibus & cognatis illius ſalutari fuaſu conſuluit vt in honorem Beati Staniſlai triduano acto ieiunio, pro ſanitate infantis frequenti obſecratione patrocinium ipſius precarentur. Quibus id quod Presbiter ſuggeſſerat cum omni deuotione & humilitate (nihil quippe parentibus opprobrio illo ſolui æſtuantibus, arduum aut difficile vide-

videbatur) exequentibus, dum iam altera hebdomada ab ortu pueri tranſacta eſſet, noua oculorum acies apparuit, nouaq; & venuſta cutis vlceroſitate omni depulſa infantem contexit, pro quo ſolennes hoſtiæ à parentibus ad tumulum Beati Staniſlai fuêre peractæ.

CAPVT XI.

Puella nobilis excæcata à diuturna cæcitate eximitur.

VIrgo Oſanna quam lingua Polonica Offkam nominat ætate duodennis, & genere nobilis, nata Martini militis in Boyſchewij heredis, & Agnetis conſortis ex Ratiborienſi diſtrictu & Diæceſi Cracouienſi oculorum dolore per vnius anni ſpatium cruciabatur immenſo, adeoq; forti dolore decoquebatur, vt conquaſſatis & diſruptis palpebris ad extremum miſerabiliter excæcata, nec ſedes quidem priſcorum in ea adnotari poterant oculorum. Quæ dum cæcitatis ſuæ aliquot annis moleſtias ſimul & deformitatem pertuliſſet, ac parentes eius pro diuturna & irreparabili filiæ cæcitate, multiplici anxietate, aſsidue inſtando orationi & eleemoſynarum largitioni intenderent confecti. Miſericordia Domini perſeueranter illam inuocantibus ſe placidam exhibens, pectora eorum ad inuocandum pro filiæ ſuæ ſanitate Beatiſsimi Staniſlai Athletæ beneficia & merita, diuinitatis ſuæ animauit rore. Qui cum inſpirationi parendo cæleſti, præfa-

tam Oſannam filiam ſuam cum flebili deuotione & conſtanti fiducia Beato Martyri Staniſlao deuouiſſent, cum hoſtiarum oblationibus illam ad ſuum repræſentaturi ſepulchrum, mox & in continenti virgo prædicta Oſanna per Magnifici ſuffragatoris Staniſlai Epiſcopi merita, & à caligine diuturnæ cæcitatis exempta eſt, & nouas oculorum tam ſedes quam radios & palpebras ſortita. Ad Eccleſiam quoq; Cracouienſem & Beati Staniſlai ſepulchrum cum oblatione à Parentibus præſentata ſolenni, mirifica in ſe Beati Staniſlai opera tam conſpectu prædicabat quam voce.

CAPVT XII.

Simili cæcitate altera Cracouiæ laborans ſanatur.

CIneri ciuis Cracouienſis & Amlethæ mulieris, Margareta filia grandi oculorum lippitudine ab ipſo quo effuſa eſt, in lucem materno vtero aſsidue vexata, inflatos ſiquidem & ſanguinolentos habebat oculos, & capitis patiens ardorem rarius ſomnum capiebat: ſexto demum à natiuitate anno, cæcata. Dum in annos poſtmodum plures cæcitas tenderetur; Morbi inſuper & languoris magnitudo varijs medicaminibus, quæ Parentum cura adhibebat, non poſſet diſpelli, non moleſtia tantummodo, ſed & ſalutis deſperatio, tam ſibi quam Parentibus cæpit intendi. Mater tandem Amletha, pro filia ſolicita quam viderat, ab omni

huma-

humano releuamine esse neglectam, ad Beati Staniſlai ſe totam vertit præſidium & vota plurima Sancto deuouens & in abſtinentijs orationibuſq; Deo, ſe humilians, ad Eccleſiam Cracouienſem, & ad ſepulchrum Beati Staniſlai, filiam cæcam ſub ſua chlamyde ducens. cum forti accedit fiducia. Candelas deinde quas accendens, cæteraq; vota cum oblationibus ſoluens; formamque oculorum ex cera effigiatam ad ſepulchrum Beati Staniſlai ſuſpendens, cum lamentis & ſuſpirijs filiæ curationem à Sancto Dei Staniſlao enixius precabatur; docens filiam Margaretam, vt ipſa quoq; preces pro ſua ſalute ingeminando deuotior conſiſteret. Vtriuſq; autem ſupplicatione, per Martyris ſui Staniſlai merita, Dominus placatus, neceſsitati eorum ſolita pietate reſpondit. Nam dum Eccleſiâ orationibus & votis ſolutis fuiſſent egreſſæ, continuo filia Annis pluribus cæca, præſidio Diuino & Beatiſsimi Staniſlai merito ſe ſentiens ſanatam ex Chlamyde Materna ſe ſe euoluit, & ſolis radios intuens, ac ſine ductore incedens, Matrem ſtupentem lætantemq; præire cæpit. Domum deinde venientes, dum refectionem ſumerent, filia Parentibus ſuam perfectiorem iam tunc & integram ſanitatem indicauit. Et ex illa die cæcitatem euadens, vſq; in diem mortis bona oculorum valetudine perfuncta, Sanctum Dei Staniſlaum ſuæ cæcitatis curatorem aſsiduis laudibus benedixit.

CAPVT XIII.

Idem beneficium mulier experta ad ſepulchrum Sancti Stanislai.

BIennio integro grauiſsimum oculorum dolorem mulier Sobotha nomine paſſa cæcutire cæpit. At tandem languente potentia viſiua cæcitatem de integro contraxit. Quæ cum immenſa ex huiuſmodi cæcitate (propter moleſtiam parentum cæcitatem ſuam æquo grauius ferentium) affligeretur anxietate, & nullum ſuæ acerbitatis reperiret lenimen, tota ſe ad Beatum Staniſlaum conuertit, genitriceq; ſua præſente, ad ſepulchrum Beati Staniſlai ſe ituram, & oblationem ſuæ ſanctitati ſe præſtituram deuouens, S. Staniſlaum pro omni vitæ ſuæ tempore ſe in cultu habituram ac illi omnem deuotionem & famulatum impenſuram adſtrinxit. Hoc itaq; voto concepto ad ſepulchrum viri Dei in Cracouienſi Eccleſia deducta, ſoluto voto quod vouerat, ad lumen dudum amiſſum redijt, ac domum reuerſa integra oculorum perfruens viſione quoſlibet labores, & ſeruilia opera peragebat.

CAPVT XIV.

Nobilis de Krzyzánowice, oculis diuerſimodè captus curatur.

RInardus de Krzyzánowice Dominicellus & Enſifer, Cracouienſis diſtrictus morem nonnullorum mili-

militarium Poloniæ (celebritates dierum Sanctorum modica lance appendentium) ſecutus in Feſto Sancti Michaèlis Archangeli, neglecta re Diuina ad quam peragendam campanæ Eccleſiæ eiuſdem villæ in Krzyzánowice ſonuerant canibus acceptis & niſo in campos ſe contulit, venatum. Quem redeuntem manus Diuina illico pro contempta religione & feſto violato afflixit. In languorem ſiquidem capitis & oculorum decidens, diebus quindecim dolore horribili torquebatur vehementer, languore verò ingraueſcente dexter oculus eius, ex orbe ſuo magnitudine doloris euulſus, & in faciem defluens, viſibiliter dependebat, ſiniſter inſuper ex eodem languore crepuit: ac ſic vtroque amiſſo fuit præfatus Rinardus perpetuo luminum vſu orbatus. Fratre itaque & ſorore germanis forti inductione ſuadentibus voto ſolenni ſe & ſuam grauiſsimam deuoueret Beato Staniſlao neceſsitatem, fiduciâ magnâ ſe ſperans illius præſidio ſanandum. Annuit, ſororeq; pijs conſilijs ad manum illum trahente, & præbente ducatum ad Cracouienſem Eccleſiam, ad ſepulchrum viri Beati perueniens, diutius illic in oratione perſiſtens, fluentibus lacrymis, cruore permiſtis, auxilium Sanctiſsimi Staniſlai ſibi impendi precabatur. Cum autem votis & precibus ſolutis conſurreXiſſet ab oratione & oculus dependens dexter in ſuum locum detractus, & loco ſuo reſtitutus eſt, & ſiniſter

qui crepuerat ad integrum ſanatus perfectamq; ſanitatem, ex tunc nactus vſq; in diem mortis nullius læſionis aut deformitatis ſignum in oculis eius apparuit.

CAPVT XV.

Moribundus à Morbo Epidemico liberatur.

VOyſlaus Laicus à peſte epidemiæ correptus graui apoſtemate in gutture erumpente vexabatur, & ingraueſcente morbi magnitudine per dies aliquot nec cibum nec potum ſumere nec quidquam aliud poterat, conſtringente apoſtemate glutire. De cuius vita cum & ipſum & cognatos domeſticos eius deſperatio inceſſiſſet agonizanti iam & moribundo, candelâ accensâ ad manus ingeſta eſt, quaſi eueſtigio expiraturo. Tandem ei per uiſum vir venerandus in veſte candida, apparens illum monuit, in celeri quo poſſet gradu ad Cracouienſem Eccleſiam conſurgeret, & à Troiano eiuſdem Eccleſiæ cuſtode, oſtenſionem tumbæ Sancti Staniſlai expeteret, plenam liberationem ab impendenti morte ex eius veneratione & oſculo accepturus. Verum cum æger à morbo concluſus nullum ſermonem effari poſſet, mente ſe & cogitatione deuouet prædictæ admonitioni pariturum, & continuo apoſtemate diſrupto Voyſlaus à limine mortis ſe ereptum beneficio Sancti Staniſlai cognoſcens, quarto demum ad Cracouienſem Eccleſiam & ſepulchrum ſanctum

die per-

die perueniens, Troiano cuſtodi pluribuſq; alijs quæ ſecum acta fuerant expoſuit, & Beatiſsimo Staniſlao liberatori ſuo, per preces & oblationes gratias egit.

CAPVT XVI.

Vladislaus Princeps Oppolienſis à graui apoſtemate immunis redditur.

OPpolienſi Principi Vladiſlao viro Illuſtri ad colloquium Cracouiam cum Duce Boleſlao Cracouienſi celebrandum, feſtinanter ne dies condicta elaberetur pergenti, horridum apoſtema in femore vna nocte emerſit: quòd illum adeo pauidum effecit, atq; triſtem, vt cæpto itinere omiſſo, redire Oppolium extremis ſuis prouiſurus, diſponeret. Qui cum in mærore & anxietate euiuſmodi conſtitutus ſopori ſe & ſomno dediſſet, vox ad illum per viſionem inſonuit, quæ confidere eum beneq; ſperare iubet, breui hoc periculo liberatum iri, modo ſpem ſuam iaciat in Dominum & ſepulchrum Beatiſsimi Cracouienſis Epiſcopi Staniſlai, (illius precibus curandus) adeat. Qui expergefactus in votum Beato viro Dei quam primùm ſoluendum prorupit, inuocans Staniſlaum Beatiſsimum, & continuò apoſtema de pede ſuo euulſum diſperijt, cicatrix tamen locum apoſtematis oſtendens, diutius in ſuo corpore nullum ingerens dolorem remanſit. Qui Cracouiam adueniens & vota Beato vi-

ro ad ſuum ſepulchrum ſoluens, quàm ſubitò quam magnificè à Beato viro curatus fuerit ad notitiam plurimorum vulgauit.

CAPVT XVII.

Fœmina paralyſi tacta ab omni morbo ſanatur.

JVthka Fœmina Conſors Nicolai do Coſmirzow, Diœceſis Cracouienſis, & Parochiæ de Luborzica vehementi labore poſt partum correpta à diè vigeſima prima Maij vſq; ad diem primam Octobris aſsidue nocte & interdiu torquebatur. Paralyſi deinde percuſſa manus ſiniſtræ & pedis vſu & officio fuerat penitus deſtituta. Cui tam deſperatæ quaſſatæ & afflictæ, vir quidam venerandus albo ſuperpelliceo indutus, per viſum apparuit, atq; conſolatione blanda præmiſsâ illi dixit. Accipe filia ſalubre conſilium quod à me tibi proponitur, vt omni humano medicamine nihil tibi profuturo omiſſo, totam te præſidio Beati Pontificis & Martyris Staniſlai committas, ſuo beneficio, ſanitatis perfectioris curationem acceptura. Hac itaq; viſione mulier admonita, tota in ſe voto flebili & ſolenni, Beatiſsimo deuouet Staniſlao, ſepulchrum ſuum viſitatione corporali & oblatione honoratura. Quamprimum autem huiuſmodi votum effudiſſet, manum & pedem quæ per Paralyſim fuerant emortua diſtendit, & vtriuſque integro vſu & officio percepto, vo-

ta quæ

ta quæ ſpoponderat ad Eccleſiam Cracouienſem & tumulum Sancti Staniſlai perſoluit.

CAPVT XVIII.

Mulier membris contracta & Paralytica ad contactum oſſium Sancti Stanislai ſanitatem recipit.

FIlia hominis Ruſticani Newglaſch Agnes nomine Parochiæ de Iaßel Cracouienſis Diæceſis, ætate ſeptennis in corpore vniuerſo paralyſi tacta, & ſingulis membris contracta, os habens inflexum, & retortum, oculos pari paſſu diſtractos & retortos, pedes diſtortos manus & cætera membra aſsiduum patientia tremorem, tanta inſuper membris ſingulis inerat deformitas, vt nullum membrum ſuum officium ſatis retinere, ſed omnia ex ſuis locis & compagibus diſceſsiſſe viderentur. Miſeratione itaq; parentum, ſuæ afflictionis conditionem gementium ad Eccleſiam Parochialem in laßel delata, & Beato Staniſlao Martyri, cum fiducia ingenti deuota, poſtquam benedictionem Eccleſiæ Sacerdos cum inuocatione, nominis Sancti Staniſlai ſuper ægram legendo expleuerat, etiam corpus tortuoſum & languidum panniculo ſericeo, (cui oſſa Beati Martyris Staniſlai conſueuerant includi) contingit & conſignauit. Cumq; conſignationem huiuſmodi & contactum tribus diebus ingeminaſſet tertia demum conſignatione finitâ, Agnes in ſoporem verſa in

sinum maternum caput reclinans dormitare cæpit. Sub hac verò dormitatione domum à Parentibus relata, priusquam ædem propriam contingeret, in omnibus membris sanam illam conspiciunt & incolumem, & in laudes IESV Christi suiq; Martyris Stanislai ora soluunt, atq; in crastinum diem gressu perfecto, per seipsam gradiens, ad Ecclesiam in Iasel perueniens & beneficium sibi ope Beati Stanislai præstitum vniuerso populo ostendens, magnæ fuit singulis qui illius languoris varietatem ante peruiderant, & admirationi & stupori.

CAPVT XIX.

Idem alia impetrat.

MAterfamilias Catherina fœmina ex oppido Skarbimiria subito in paralyticam decidens ægritudinem graui dolore torquebatur atq; adeo languor paralyticus apud illam inualuerat, vt vi doloris, os eius vsq; ad aurem retortum permaneret, plurimo tempore præbens videntibus de se spectaculum monstrosum: ad quæ omnia etiam dolor ingens capitis miro modo eam excrucians accedebat; paralysi verò adeo constricta manebat, vt etiam pedum & manuum vsus ei negaretur. Quibus malis mulier oppressa pro festiuitate Sancti Floriani Cracouiam adducta, ad sepulchrum Beati Stanislai de cuius stupendis miraculis per-

docta

docta erat, manibus famulantium inuecta est, & prona atq; supplex biduo orans, non consequebatur sanitatem. Nihil tamen de Dei benignitate & meritis B. Staniſlai diffidens, ſupplicationem ſuam in tertiam diem producebat. Itaq; die illa contritionis ardore repleta fletibus magis quam precibus Beatiſsimum cæpit pro ſui curatione interpellare Staniſlaum, cuius beneficio & merito confeſtim omni toruitate oris in ſuum locum remeante, omnis capitis ægritudo ſublata eſt; & omnis informitas ex tunc deinceps diſpulſa: præfata quoq; mulier Catharina ab omni paralyſi curata, ac ſanitati de præmortuis membris reſtituta, pedibus in Skarbimiram reuerſa, miraculum ſuum ipſa circumtulit.

CAPVT XX.

Duorum filiorum à paralyſi & Epidemia liberatio.

VIthkerus Theutonicus Ciuis Cracouienſis dum duos filios grauibus ægritudinibus refertos haberet, mente & ſpiritu aſsiduo dolore de filiorum paſsionibus affligebatur, alter enim cui Gerardus nomen erat, quadriennis, grauiſsima paralyſi, alter Richoldus ſexennis, duriſsimâ epilepſiâ vexabatur. Ampliores tamen paralyticus quam epilepticus Parenti ingeſſerat anguſtias, quod epilepticus per interualla cruciatus excipiens, nonnunquam ſanitate potiretur, paraly-

ralyticus verò aſsiduum dolorem perferens, ne dum loquendi & ambulandi, ſed & tangendi vſu penitus amiſſo, non ſecus quam truncus aridus alieno miniſterio volutabatur. Stomachi inſu per correptus dolore & omni edendi appetitu proſtrato, per viginti duos dies omnem cibum & potum peroſus lympha tantummodo interdum, quàm è tela linea ſugebat leuiter reficiebatur. Contriſtatus itaq; Vithkerus pater, & de cruciatu vehementi & de morte quæ imminebat filij, in Eccleſiam maiorem Cracouienſem accurrens, Sanctiſsimum magna vociferatione cæpit inuocare Staniſlaum. Libera inquit Præſul Beatiſs. Staniſlae à mortis tormento infirmitatiſq; & vim tuæ Sanctitatis tam mihi miſero & miſerabili Patri, quàm huic moribundo filio meo impende, quem plena fide ad buſtum tuum me cum argento fertonem appendente præſentaturum deuoueo. Dum voti & ſupplicationis ſermonem Vithkerus compleuiſſet; domum reuerſus, Gerardum filium offendit loquentem & ambulantem quem reliquerat moribundum, mutum, & elinguem. In ampliorem itaq; vnius filij grauiori morbo laborantis ſanitate obtenta erectus fiduciam, meliora de altero cæpit ſperare, & nouo voto, nouaq; ſupplicatione illi à Beatiſsimo Staniſlao incolumitatem depoſcere. Exaudiuit clementiſsimus Deus precem eius & per merita dilecti ſui Martyris Staniſlai etiam Richoldo

choldum de morbo epileptico (quem per singulos dies ter nonnunquam quater cadendo pertulerat) plenè adeo vt nec vestigium prioris ægritudinis in eo remaneret, absoluit. Vtriusq; filij liberationem consecutus, alacritatem & gratitudinem immensam, Vithkerus testari cæpit, nam ad sepulchrum Beati Stanislai cum coniuge & liberis sanatis pergens, munus quod deuouerat Sancto Dei obtulit, illiusq; mirificum in se & filios demonstratum solamen vulgauit & domum reuersus amicis & necessarijs conuocatis grande conuiuium super filiorum incolumitate exhibuit.

CAPVT XXI.

Vlosciborius visui & saluti restituitur.

VLosciborius Cracouiensis Diæcesis Ensifer in oculorum dolorem incidens eo grauaminis atq; cæcitatis peruenerat vt orbes oculorum eius morbo instringente euersi, carnem tantummodo rubeam habere viderentur, in locum virtutis visiuæ succedentes. Qui dum mentis angustia ex cæcitate quæ sibi acciderat vrgeretur, ad Ecclesiam maiorem Cracouiensem & ad sepulchrum Beatissimi Stanislai se conduci, annulo quoque eius loca oculorum primum signari, deinde aqua annulo intincto lauari obtinuit; & continuo rubedine sensim discedente perfectam oculorum sanitatem excepit, desiderium quoque cibi & po-

& potûs, quòd dolor oculorum immensus, prostrauerat, eadem die resumpsit.

CAPVT XXII.

Puellæ vermes in oculis nati dispereunt.

PRrzybysława virgo filia Kigneri Ciuis Cracouiensis oculorum dolorem passa fortius & vehementius in oculo siniſtro cæpit torqueri. Cumq; dolor assiduè inualesceret, etiam vermium multitudo per corruptionem humorum procreata, sensibiliter cruciatus geminans cæpit apparere. Qui cum nullo humano ingenio vel arte quoniam in abscondita palpebrarum dum quærerentur diffugiebant, possent euelli & perpetuæ cæcitatis periculum fæminæ præfatæ immineret, à Parentibus in templum & ad sepulchrum B. Staniſlai defertur vbi pro filiæ curatione Sanctum Dei supplici deuotione Parentes interpellant. Vnus autem ex miniſtris Eccleſiæ Cracouiensis, oculum vlceroſum lapillo de sepulchro Beati Stanslai sumpto dum contingit, vermium multitudo quasi imperata audiens discesſit. Sequenti verò die cum vnus tantummodo crassus vermis appareret, qui fugiendo sub palpebra comprehendi non potuit, ad inuocationem Sancti Staniſlai disparuit, & puella integrè sanitatis visum recuperauit.

CA-

CAPVT XXIII.

Epilepsia laborans puer osculo tumbæ sanatur.

BOgusłaus de Pielgrzymowice Nobilis habuit filium quadriennem nomine Nicolaum; qui epileptico morbo grauatus spumans & per terram volutatus adeò grandi cruciatu vexabatur, vt frequentius animam existimaretur, exhalasse. Hic crebrescentibus viri Beati Stanislai miraculis, præfatum Nicolaum filium ad tumbam eius detulit & vt primum illam osculando contigit, ab eo tempore & deinceps vsque ad diem mortis suæ perfectam liberationem accepit.

CAPVT XXIV.

Alteri simili morbo laboranti sanitas confertur.

BOgusłaus de Grodzina villa miles alter à priori, assiduè & ingenti torquebatur afflictione pro filio suo Damiano, quod à morbo epileptico tam frequenter & assidue vexaretur. Vt vicibus decem per diem grauem illius cunctis videntibus & horrentibus sentiret paroxismum. Cumq; morbus sensim inualescens in annum cum dimidio protenderetur, & tam pater pueri, quàm vniuersi cognati & familiares eius ex eo affligerentur, plenam de meritis Beatissimi Stanislai fiduciam concipiens, puerum ad sepulchrum Beati viri cum oblatione solenni detulit, deuouens se pro sani-

tate filij hostiam annuam, agnum vnum de suis gregibus Ecclesiæ Cracouiensi, in qua ossa Sancti Dei Stanislai requiescunt largiturum, cumq; orationem & votum pro incolumitate filij persoluisset. Nicolaus puer à morbo diuturno quo assidue detinebatur & vexabatur solutus est.

CAPVT XXV.

Annulus S. Stanislai apostema gutturis dissoluit.

MArtinus de Morawica vir de ordine militari, graui languore correptus apostema grauissimum quod in gutture emerserat habere cæpit; idque primum illi loquendi, deinde edendi tandem etiam respirandi & Spiritum attrahendi potestatem ademit. Ad portam itaq; mortis se intelligens deuenisse, quoniam suffocatio sua plerilq; vicibus, & ab ipso & adstantibus liquido notabatur prouentura, annulum Beati Stanislai Cracouiâ magna prece magnoque conatu impetrauit domum suam afferri. Audierat enim vocem per visum sibi dicentem vt fiducialem faceret ad patrocinium Beatissimi Stanislai recursum, magnifico eius suffragio apprimè curandus. Cum itaq; annulus Pontificis Beati domum suam à Ministris Cracouiensis Ecclesiæ solenniter delatus & signaculo eius locus guttu-
ris & apostematis fuisset benedictus, continuo apostema dimidiatum & ruptum est, & languidus quemad-
modum

modum ei per visum monstratum fuerat ad plenam in columitatem redijt.

CAPVT XXVI.

Grauiter infirmus, atq; extremis laborans à sepulchro Sancti Stanislai domum incolumis redit.

EX eodem villagio Morawica quod paulo ante perstrinximus Gosslaus miles ortus, graui & diuturna à die videlicet Sancti Michaëlis Archangeli, vsq; ad Parasceuen, ægritudine vexabatur. Cum itaq; tam suo quam omnium aliorum iudicio prope diem atq; prope horam migraturus hinc crederetur, ad coniugis suæ fidelem persuasionem, Beatissimum cæpit pro sua incolumitate interpellare Stanislaum, deuouens se eius limina cum oblatione emissa, visitaturum. Et sensim dudum languidas vires cæpit resumere, & tandem baculo debiles adhuc artus sustentans, votum impleturus ad sepulchrum Beati viri venit, vbi ex integro testatus est se esse sanatum.

CAPVT XXVII.

Puer morituras ab eodem sepulchro sanus refertur.

EIusdem Parochiæ de Morawica fœmina genere Theutonica Gertrudis nomine, filium suum habentem ætatem annorum circiter trium Martinum, videns ex assiduo & graui languore moriturum, Beatissimo illum Stanislao magna mentis deuotione deuouens, ad

tumbam eius cum filio in vlnis gestato quam celerrimè poterat properauit. Cumq; votum quod promiserat in orationem soluisset, è vestigio puer ab infirmitate qua detinebatur solutus est. Quem mater orans & Sanctum Dei Stanislaum in omnium auribus celebrans domum retulit incolumem.

CAPVT XXVIII.

Nobilis cuiusdam tumor è gutture fugatur.

ANdreas miles de Proßowice Heres carnem purulentam & inflatam assiduè excrescentem per humores peccantes genitam in gutture consecutus, tædio primum & dedecore, ad extremum periculo vitæ (neq; enim ea stringente edere illi aut potare licebat) afficiebatur, nonnunquam verò vitales Spiritus in eo dolor morbi adeo coarctabat, vt prorsus nulla ei de cætero viuendi spes relicta foret, nullo medicorum audente ei ferre antidodum. Cum extrema itaq; agitaretur desperatione, beneficia Beatissimi Stanislai in plurimos collata commemorans, Sanctitatis suæ cæpit fide & spe plenus conclamare vtcunq; poterat solatia, deuouens se eius sepulchrum & limina visitaturum, & mox ad inuocationem huiusmodi grauedo omnis qua detinebatur amota, visitatione ad sepulchrum peracta, etiam omnis tumor & purulentia disperijt.

CAPVT XXIX.

Idem Nobilis alio morbo leuatur.

INciderat idem miles Andreas de Proßowice de quō iſmediate narrauimus grauem in aliam infirmitatem, ex qua illi apoſtema & morbus letalis qui atrox appellabatur erupit omnem medicorum artem & medicamentorum vim ſuperans. Is ergo ad ſolitum remedium (dum grauis morbi affligeretur cruciatu) faciens recurſum, ſe totum Beatiſsimo deuouet Staniſlao, pollicitus ſe eius ſepulchrum cum conſorte ſua pedeſtri viſitaturum itinere. Et continuo nocte votum inſequente, mortale quod hominem necaturum timebatur apoſtema, non ſine multorum huius rei conſciorum admiratione, diſparuit, & æger lætatus omnē ſe ſanitatem adeptum, votum deuotiſsimè expleuit.

CAPVT XXX.

Pes dolore emortuus annuli contactu curatur.

VIr Nobilis Szmil de Morawia in grauem incidens ægritudinem, doloris ſui ſenſim procedente malo, aduerſa valetudine adeo affligebatur moleſtijs, vt pedis dextri officio penitus remaneret priuatus. Quapropter acerbitate doloris permotus & de vita omnino deſperans, condito in præſentia Principis ſui & militarium vicinorum teſtamento exhalaturus ani-

mam propediem videbatur. De propitiatione tamen Diuina & ſuffragio Beatiſsimi Staniſlai fiduciam ſingularem concipiens, ſeipſum precibus ſuis curandum, Beatiſsimo deuouet Staniſlao, pedem quoq; aridum vel potius emoriturum eius annulo impetrat benedici. Quo facto ſanitas pedis illico cunctis qui aderant ſtupentibus ſubſecuta eſt & ipſe ſepulchrum viri Sancti adiens, & vota ſoluens, ad perfectam de qua deſperauerat redijt ſanitatem.

CAPVT XXXI.

Ab eiuſdem annuli contactu fœmina ſanitate & vſu Sacramentorum potitur.

GRandi & horribili Catharina vxor militis Petri de Radźimice premebatur infirmitate. Tumor ſiquidem ingens tam caput illius quam cætera oris membra vexando, adeo peruaſerat, vt humani vultus ſpcies in ea non poſſet tumore obnubilante dignoſci. Naſi tantummodo ſimitas modice tum ex facie prominebat, cute faciei iuxta acſi oleo illita eſſet reſplendente: ſed & caput & facies tetro liuore obducta erant; aures præterea tumor niger fuſcauerat, vt ſpectantibus moueret quendam ſua deformitate horrorem: & quamuis pro illius curatione longa & aſsidua medicorum deſudaſſet induſtria nullus tamen impenſæ à medicis operæ reſpondebat effectus. Quapropter à medicis deſerta,

ſerta, nocte inſequenti moritura credebatur. Maritum proinde eius Petrum militem non iam de vita temporali ſed æterna conſortis ſuæ cura cæpit reddebatq; anxium vehementer, quod confeſsione nondum peracta, & abſq; ſalutifero viatico (vtrumq; enim adhiberi tumor horrendus vetuerat) foret deceſſura. Itaq; intempeſta nocte conſurgens, & conſortem ſuam Beatiſsimo Staniſlao fiducia magna deuouens Cracouiam properabat, vbi à Decano & cæteris Prælatis atq; Canonicis Gracouienſibus Præsbyterum cum annulo Beati viri Staniſlai tranſmitti in domum ſuam petiuit. Qui dum illuc propere ipſo diluculo prouenit, mulierem ægrotam ſignaculo primum annuli benedixit; aqua deinde annulo præfato lota loca turgida ac tumentia linire cæpit, & continuo tumor ſenſim dehiſcere, & fœmina languens vſum loquendi recipere vniuerſis ſtupentibus incipit, mox confeſſionis & Sacræ Euchariſtiæ à fratre Martino de Ordine Prædicatorum munus veluti ſibi gratiſsimum & neceſſarium percipiens poſt dies paucos à reliquijs tumoris atq; languoris ad integrum exitit liberata.

CAPVT XXXII.

Fulmine tacto apparens Sanctus Stanislaus lecto Euangelio confert ſanitatem.

PReduogius armiger Bohemus lingua & natione cum duobus ſuæ conditionis hominibus verſus

Pra-

Pragam agebat iter. Qui dum haud longe ſpatio fere medij miliaris diſtaret Pragâ, tempeſtas validiſsima ex omni parte coorta imbrem grandinem, & fulgura frequentiùs ſolito producebat. Cuius periculum præfatus Preduogius cum comitibus itineris vitaturus, ſubter vnam quercum viciniorem declinauit. Quo illic conſiſtente, vis fulminis arboris tertiam partem à ſummo vſq; deorſum diffidens, vnum ex comitibus Præduogij enecauit, alterius capillos exuſsit, & caput canis eos concomitantis, quaſi acutiſsimo præcidit gladio. Præduogium ſuo terrifico ictu ſurdum, mutum reddidit, & delirum, quem cognati & noti eadem via facientes iter Pragam deferunt ſeminecem. Is cum Pragæ in Eccleſia Sancti Galli poſitus, nocte quadam ſopori ſe dediſſet, vir quidam venerandus & qui Pontificalibus amiciebatur indumentis per quietem illi apparuit dicens: Ego volo te benedicere: deinde legit ſuper illum Euangelium. Initium Sancti Euangelij ſecundum Ioannem. In principio erat verbum: quo expleto dixit ægro. Surge & vade Cracouiam cilicio indutus & nudipes ad ſepulchrum Beatiſsimi Stanislai & quindenis in abſtinentia ieiunij illic exactis diebus continuo liberaberis. Æger autem hunc qui ſibi apparuerat putans ex ſacerdotibus Pragenſibus fuiſſe rogauit eum dicens: Quis es Domine & quo nomine vocitaris: ad quem Sanctus:

Deis

Dei : Ego ſum inquit Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus, tuæ infirmitatis conſolator & medicus. Ad quam vocem mox ſomno & viſione ſolutus & vſum plene audiendi, & recte loquendi atq; intelligendi ſibi reſtitutum gaudens, Sanctum Dei in conſpectu omnium Pragenſium cæpit laudibus celebrare Staniſlaum. Cracouienſem deinde vrbem in cilicio & diſcalceatus adiens, cuncta quæ ſibi per viſionem fuerant imperata cum omni deuotione impleuit, & perfectam de omni infirmitate quæ acciderat conſecutus eſt beneficio Martyris Staniſlai ſanitatem.

CAPVT XXXIII.

Linguæ tumor in puella ſubſidet.

ANnæ puellæ filiæ Iacobi hominis ruſticani corpus primum languor, deinde linguam tumor quidam, ex languore gliſcens inuaſerat; adeò verò tumoris magnitudo in lingua inualeſcebat, vt præ vehementiâ exuberantis putoris, linguam intra fauces non poſſet inferre. Cum verò ſingula quæ adhibebantur antidota nullum afferrent remedium. Parentes puellæ vicinorum perſuaſione ducti, magnâ deuotione & lacrymarum effuſione, Beatiſsimo filiam, & ipſius curam, deuouent Staniſlao, & continuo ad emiſsionem voti, & Sancti Martyris Dei Staniſlai inuocationem, ægritudo corporis & tumor linguæ diſperijt.

CAPVT XXXIV.

Puer ſine pelle natus, pelle veſtitur.

MArgareta fæmina nobilis, conſors Ioannis militis de Koſzlow, dum vno partu geminos filios effudiſſet; vnus eorum Ioannes apellatus, perfecta ſortitus membra, parem perfectionem fratri, qui Martinus eſt nominatus (quemadmodum in partu geminorum frequentiùs obuenit) abſtulerat. Cutem enim in toto non habebat corpore: propter quem defectum, ſine quadam abominatione & horrore, ſed quod amplius & admirabilius eſt, ſine mortis periculo, nunquam poterat, attrectari. Quam moleſtiam parentes illius (quoniam illi humanis modis ſuccurri non poſſe videbant) euaſuri ad Diuinum ſe totos & Beatiſsimi Staniſlai ſubſidium conuertunt, puerumq; tàm monſtroſum, Sancto Dei deuouent Staniſlao, tunc mirum in modum (Parentibus & cognatis orationem facientibus & vota emittentibus) puer decorâ pelle quam ſibi natura negauerat, veſtitus eſt, & à deformitate atque morte, merito Beati Staniſlai vindicatus.

CAPVT XXXV.

Alterius pueri caro putreſcens renaſcitur ſana.

STaniſlaus puer & nobilium Parentum Pauli & Oſannæ de Zlotniki filius, miſerabili ab annis pueritiæ ſuæ,

ſuæ, immò pænè ab ipſo ortu torquebatur infirmitate: venter ſiquidem in dies computreſcens omnia viſcera & inteſtina detexerat nudata. Naſcebatur tamen & ſuccedebat quotidie in putredinis locum, quædam caro in pelliculæ modum, quæ ſubitò, & eadem quâ producebatur die computreſcens, per ſingulos dies gigni, & decidere videbatur, amplius puero per huiuſmodi viciſsitudinem inferens tormentum. Parentes tandem eius varia anxietate de ſalute filij fatigati, intelligentes illi corporali ſuffragio remedium ferri non poſſe, animaduertentes præterea Beatiſsimum Staniſlaum vberrima mortalibus beneficia largiri, præfatum puerum quem ſub nomine eius baptiſmi fecerant, cum omni deuotione & fletibus iſmenſis ad tumbam vtcunq; poterant deferunt Beati Staniſlai. Neque enim ſine periculo portari is poterat, qui pæne per omnia momenta moriturum ſe pronuntiabat. Cum itaq; parentes eius ſupplices & deuoti ad ſepulchrum Sancti, pro filij ſaluatione, tam vocibus quàm fletibus per triduum interpellarent, & viſcera pueri miſerabiliter putrefacta, atq; nudata, aquâ cui annulus Beati Staniſlai intinctus erat, die quolibet lauarent, tertio demum die noua cutis nouaque caro, non iam putreſcens, ſed ſana, continua & concreta erupit, quæ puerum ab omni deinceps reddidit incolumem cruciatu & paſsione. Qui proceſſu temporis ad annos

ampliores preueniens, & Ordinem Minorum Beati Franciſci aſſumens, vitam illic laudabiliter conſummauit.

CAPVT XXXVI.

Puer mutus, & ſemiamens, linguæ & rationis vſum recuperat.

RVſticus quidam ſimplicis ingenij vir, vniuſq; filij pater Radoſlaus de Skotniki, anxius valde quod filius ſuus Petrus nomine, ab ægritudine correptus etiam obmutuerit, tribuſq; iam hebdomadis permanſerit mutus. Hic & tædio rapiebatur immenſo. De nocte namq; conſurgens, manus tenentium & cuſtodientium ſe euadere, & in ſyluas ac nemora effugere nitebatur. Genitor itaque ſuus Radoſlaus, de ſalute filij ſolicitus, ſalubri ſuadentium ſibi (quatenus filium ſuum Beatiſsimo deuoueret Staniſlao, & curam illius Sancto committeret) vſus conſilio properauit Cracouiam cum filio, & pro eius incolumitate oblatione ad ſepulchrum viri Sancti factâ, Martyrem Dei Staniſlaum ſupplex interpellabat. Dùm autem oratione & votis conſummatis, æger quoq; filius annulo fuiſſet Sancti Dei conſignatus, & aquam in qua idem annulus tinctus fuerat potaſſet: ſtatim remoto omni linguæ obſtaculo, in perfectam & articulatam erupit vocem, fugitque ab eo omnis ægritudo & tædioſa moleſtia corporalis.

CA-

CAPVT XXXVII.

Furiosus ab apparente per visum S. Stanislao admonetur & furore liberatur.

MArtinus de Lantkowice in grauem incidens infirmitatem, octauo demum die efficitur furiosus, qui ne homines cæteros læderet, funè forti ligabatur: Cumque per dies quindecim continuâ fuisset agitatus insania, sexdecimo die de lucido intetuallo aliquid captauit: sub cuius spatij interuallo totum se ad Beatissimi Staniſlai præsidium conuertens, liberari se, à tam grandi pernicie precabatur, deuouens se sepulchrum Sancti quam primum visitaturum. Deducitur tandem per custodes Cracouiam ad sepulchrum Martyris Sancti catenatus, & vinctus, ne in læsionem cuiusquam prorumperet, quatuorq; diebus & totidem noctibus vigilias circa agentibus custodibus ad sepulchrum Sancti constitit. Et cum sub silentio quartæ noctis à sopore oppressus obdormîsset, apparuit per visum ei Beatissimus Staniſlaus venerando Pontificis vestitu amictus, dicens ei, veni mecum & continuo liberaberis: qui somno expergefactus surrexit & gradu concito Ecclesiâ magno nisu egredi tentauit, custodibus tamen illum detinentibus egredi non valuit, quos corripiens ait, dimittite me, quoniam Sanctus Staniſlaus visibiliter mihi apparens secum me venire, & Ecclesiâ

egredi imperauit. Custodibus verba huiusmodi visa sunt deliramenta, qua propter illum in arctiori custodia ad priorē locum reductum habere cæperunt. Dùm verò altera vice obdormisset vidit per quietem duos viros venerandos venire ad se, atq; monendo dicere. Veni nobiscum quoniam ductu nostro ad Beatissimum poteris peruenire Stanislaum, videbaturq; ægro quòd ad hæc verba consurgeret, & cum illis viris pergeret; ac illis ducentibus Ecclesiam Sancti Andreæ ad quam nunc Moniales Ordinis Sanctæ Claræ consistunt, ingressus, Sanctum Stanislaum Casulâ indutum & librum tenentem apertum reperit, qui & dixit ei. Tune es ille? qui afflictione furoris agitaris? qui cum se illum respondisset, sta inquit paulisper & expecta, & videbis. Ad hanc vocem ægro inspectante cæperunt venire, ex diuersis statibus quam plurimi sibi noti, varijs furoribus agitati, qui & diuersis pœnis atq; cruciatibus affligebantur. Sanctus verò Stanislaus ad furiosum Martinum ait conuersus. Scisne qui & quales hi sunt qui hûc sub tot tormentis te videnté aduenium? quos se ignorare respondente. Isti sunt (inquit) Polonorum genus, qui falsa testimonia perhibent, nonnulli verò qui iniustè decernunt iudicia: nonnulli qui iniquas leges condunt: nonnulli qui humiliores opprimunt, spoliant, concutiunt: nonnulli qui ventri, gulæ libidini, & ebrietati inseruiunt. Nonnulli qui aliorum

negg-

negotia fraudulenter & doloſe tractant: nonnulli qui ſubſtantias orphanorum pupillorum, egenorum, & viduarum deuorant: nonnulli quos ſuperbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia anguſtat, ira inflammat, diſcordia ſeparat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Et propter hæc & alia facinora taliter quemadmodum tibi monſtratũ eſt torquentur, à quibus omnibus tu de cætero te contineas ne deteriorem languorem incurras. Sed & eos quos in tormentis vidiſti commoneas, vt pœnitentiâ acta à prauitatibus ſuis & impietatibus reſiliant, & pœnas eis præparatas euadent. Tu verò mea interceſsione ad quẽ fide integra recurriſti, te ex hac hora ſcias eſſe ſanandum. Poſt hæc verba, æger à ſomno ſolutus euigilans, & ea quæ viderat per quietem ſecum voluens cuncta ex ordine quæ viderat, quæq; à Beato Staniſlao audierat, in facie Cracouienſis Eccleſiæ audiente vniuersâ quæ confluxerat plebe enarrauit. Omni deniq; ſolutus inſaniâ furoreq;, integra ex tunc & deinceps potiebatur (magnalia in Sancto Martyre Staniſlao magnificans) ſanitate.

CAPVT XXXVIII.

Energumenus à Spiritu ſe vexante liberatur repente.

ADoleſcens Petrus cognominatus Pietrzec de villa Nieſczyt à dæmonio arreptus, furore continuo dæmo-

dæmone plenus, agitabatur. Qui etſi clauſus domi vinculis ferreis, nonnunquam ad columnam lapideam domi ſtantem alligaretur, loris tamen omnibus diſſruptis (tanta fortitudo infirmæ ætati inerant) quam octo homines vix loco ſuo mouere poſſent, ſolus ille conquaſſaret & de terra euelleret. Quoties verò adducebatur in Eccleſiam ligatus, corripiebatur verbere quoniam non aliter à prolatione turpium & ſcurrilium ſermonum poterat inhiberi. Subitis inſuper angebatur concutiebaturq́; terroribus, qui illi per dæmones ingerebantur. Quæſitus cur tam aſsiduâ percelleretur formidine: reſpondebat occurſare ſibi in forma pecorum & pecudum, & quolibet alio ferarum genere dæmonia, omnigenis modis ſibi minitantia mortem. Is cum dierum vnâ ante Eccleſiam Omnium Sanctorum Cracouiæ ligatus conſiſteret, à multitudine Cleri & populi illum circumſtante, & orationem pro illo fundente admonebatur, rogabaturq́; vt nomen Beatiſsimi Staniſlai, dæmonibus tremendum & formidabile inuocaret. Futurum enim per Dei propitiationem inquiebat, & nominis ſui inuocatione dæmones deterriti ipſum linquerent: ad quam perſuaſionem cæpit adoleſcens Petrus liberiùs exclamare. Quare per vincula & ferramenta ligatus torqueor; cum plenam liberationem in hac ipſa hora ſim conſecutus. Et cum de modo & ordine tam ſubitæ liberationis,

tionis, à circumſtantibus tam ſcrupuloſa indagine quæreretur; reſpondit, Sanctus Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus in montem valde excelſum me aſſumens & omnia dæmonia me vexantia abigens, quatenus abirent, neq; vnquam mihi nocerent imperauit, ad cuius iuſsionem omnis ille tenebrarum cætus diſcedens me reliquit. Abſoluens inſuper me Beatiſsimus Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus à vinculis hæc dixit mihi. Ego ſum Staniſlaus liberator tuus, Deo gratias age, & vade ſub mea benedictione in pace. Solutus eſt illicò poſteaquam hæc circumſtantibus retulerat; cum præter hæc etiam ſana mens in eo iam fuiſſet perſpecta: & Eccleſiam ingreſſus gratiarum actiones in Deum primum, deinde in Sanctum Staniſlaum prædicabat. Facta poſt hæc ſuorum criminũ apud Sacerdotem confeſſione Sacratiſsimum percepit viaticum; atq; ex illa plena in annos plures & tempora potiebatur ſanitate.

CAPVT XXXIX.

Amens ad meliorem mentem reuocatur.

PAulus filius Ioannis militis de Vlina quindecimum agens ætatis annum grauem amentiam contraxit, adeò delirans & inſaniens vt ſingulorum notos iuxta ac ignotos verberibus cæderet, & tam factis quàm verbis furioſum ſe & dementem monſtraret. Super cuius dementiâ Pater eius Ioannes miles magna actus mole-

stiâ & turbatione quid ageret, aut quibus modis salutem filio (non proficientibus quæ ingerebantur medicinis) quæreret, penitus in desperationem quandam versus ignorabat: tandem Prandota Cracouiensi Episcopo admonente, filium Beatissimo deuouet Stanislao, & illum ad tumbam ipsius cum oblatione solenni deducit in Ecclesiam Ctacouiensem, qui cum post orationem à Patre & circumstantibus fusam, aquam quâ annulus Pontificis glorioſi Stanislai tinctus fuerat gustasset repente omnem exuit dementiam & furorem, & cum omni integritate tam mentis quàm corporis sospes domum Patre nimio gaudio exultante repetit.

CAPVT XL.

Votum violans cæcitate & amentiâ percutitur exoluto voto sanatur.

VIr quidam Syedlecz nomine singularem in Sanctum Dei Stanislaum monstraturus deuotionem, sponte se deuouet Sancto Dei, vaccam cum vitulo oblaturum. Verum cum sororem germanam Agnetem visitando egentem videret, voto quod in Sanctum Dei, labijs distinctis in plurimorum præsentia deuouerat variato, vaccam cum vitulo sorori potius egestate laboranti succursurus, in animo dare firmauit, existimans se salubrius atq; perfectius opus patraturum. Verùm cùm ex sororis domo de danda sibi vacca & vitulo promissa

missa discederet, cæcitate subitâ percussus, etiam mentis alienationem sibi succedere persensit. Quo malo deterritus accersito Sacerdote facinus quod in Sanctum violando votum, & munus retractando, commiserat, confessione & pœnitentia expiauit: pollicitus se de cætero cautius quod deuouerat impleturum, & continuo Sacerdote præsente tam visum quam sensum resumpsit. Ad sepulchrum quoq; Beati Staniflai cum consanguineo suo Paulo, non assumpto quod deuouerat munere proficisci cœpit. Sed cum in itinere positus iterum se sensisset turbari, & à dementia inuadi, ad propria paulo consanguineo eum deducente reuersus, vaccam cum vitulo accipiens, & Cracouiam deducens, Beato obtulit, quemadmodum deuouerat Staniflao, ab omni ægritudine & turbatione mentis & spiritus ex tunc & deinceps liber redditus documentum non inultæ perfidiæ futurus, nequis violando vota Deo & Sanctis eius propria præsumptione illudat.

CAPVT XLI.

Aquâ abluti annuli S. Stanislai æger recipit sanitatem.

NIcolaus filius Wlostiborij militis annum agens ætatis sextum à subita ægritudine correptus, tam gutturis quàm capitis & pectoris nimio tumore onustus, à parentibus & familia velut moribundus deflebatur, dissolutionem autem illius corporis pater pro

caritate naturali auersus, Cracouiam illum quadrigâ ad sepulchrum Beati Stanislai deducit. Quamprimùm salutarem aquæ liquorem, quâ annulus Beati Pontificis tinctus erat, bibendo contigit, illico omnis ille tumor capitis, pectoris, & gutturis, & vis omnis pestiferi apostematis elanguescens, (cunctis qui aderant stupentibus) disparuit, & puer patre præsente, & lacrymante, plenam salutem accepit.

CAPVT XLII.

Annulo Sancti Stanislai æger sanatur.

VItus Ecclesiæ S. Floriani, extra muros Cracouienses, Præpositus, in parte media capitis sinistrâ, graui dolore percussus, tam vehementi affligebatur languore, vt omni loquendi vsu per quatriduum amisso, neq; cibum, neq; potum illo quatriduo capere valens, consumendum se propediem formidabat. Quarto demum die verba frangens potiùs, quàm proloquens, supplici-ter expetijt annulum B. Stanislai ad se deferri: quem cum singulari deuotione & reuerentia excipiens, locum doloris per illum attrectabat, & continuo sensit magnitudinem diminui doloris: sed & de aqua annulo sancti tincta, partem reliquam conseruari mandauit. Cum autem insequenti die pari morbo, dolore inualescente vexaretur: aquæ conseruatæ residuum vtcunq; poterat sorbuit: & repentina fugâ omnis dolor, qui illum ad mortem vsq; attriuerat abscessit. CA-

CAPVT XLIII.

A cæcitate, & morbo, Diui Stanislai ope, villanus liberatur.

GRrzysanus de Piotrkowice vir ruricola in duram, atque grauem decidens ægritudinem, quæ illum diebus pluribus, neq; cibum, neq; potum capere sinens: etiam illum doloris magnitudine effecerat cæcutientem. Qui in tam difficiles acerbitates & molestias se videns prolapsum, visitandi sepulchrum B. Staniſlai & curam suæ sanitatis, sibi committendi desiderio agi cæpit. Continuoq; sancto Dei se deuouit, pollicens se eius limina quamprimùm aditurum. Verùm quòd id ob necessitatem quæ illi contigerat per se nullatenus explere valeret, Stephanus vicinus, & compater suus obnixiùs ab eo interpellatus, ipsum iumento suo impositum Cracouiam, & deinde ad sepulchrum Sancti Dei Staniſlai deduxit vbi cum fiducia & lacrymis orans, à cæcitate primum solutus, deinde à dolore & morbo qui eum peruaserat, meruit ad integrùm liberari planam sanitatem ex tunc ac de cætero consecutus.

CAPVT XLIV.

Muta puella vsum linguæ, & sanitatem accipit, à Sancto Stanislao.

ANastasia Petri Sławkowiensis Ciuis filia, tertium ætatis agens annum, supergressa graui cæpit in

Epiphaniarum Domini die ægrotare infirmitate. Quâ ſenſim inualeſcente in ramis Palmarum die, vſum loquendi amittens, vſque ad diem Inuentionis Sanctæ Crucis, muta permanſit & elinguis: adeoque continuo dolore vrgebatur, vt parentibus eius nulla ſpes ſalutis ipſius foret relicta. Qui longa illius ægritudine anxiati B. eam deuouent Staniſlao: quadrigæq; impoſitam, verſus Cracouiam iter arripiunt. Et vix dimidio milliari exacto, vinculum linguæ eius ſolutum eſt, & loqui recte cæpit. Cùm verò ſequenti die ad tumbam viri Sancti à parentibus vota & orationes pro ea ſuppliciter ſoluentibus producta fuiſſet: ſub omnium qui aderant oculis integram accepit beneficio B. Staniſlai, ſanitatem.

CAPVT XLV.

Fœmina ſanitati à S. Stanislao reſtituitur.

IAwitha conſors Boguſlai de Chelm infirmitate ſubita & graui guttur illius aſsidua vexatione ſtringente affecta, ſex hebdomadas cibum non niſi cum magna difficultate & grauedine capiebat: Deo ſe & Beatiſsimo deuouebat Stanislao, tandem ad ſepulchrum illius pedeſtri itinere vt vouerat perueniens, ad ſui ſancti nominis inuocationem repentinam & perfectam liberationem eſt conſecuta.

CA-

CAPVT XLVI.

Impudens puella ad ſepulchrum Sancti ſerto coronata veniens, & nudatum crinibus caput aduertens, crimen, iniuriam virginitatis deteſtatur.

VRſula Cracouienſis Theutonici generis fœmina nobilis & adulta: cuidam adoleſcenti virginitatem ſuam proſtituens, Virginem tamen te priuatim & publice gerebat: exiſtimans per ſimultatem huiuſmodi facinus ſuum, homines ignoraturos: non recogitans Deo omne quod ſimulatur, aut fingitur diſplicere. Hæc aliquando Feſto ſolenni Pentecoſtes imminente ad Eccleſiam maiorem Cracouienſem, cum genitrice ſuâ ſceleris ſui conſcia, limina B. Staniſlai viſitatura proceſsit. Et dum ad pedem montis attigiſſent, Vrſula quæ hactenus ob feruoris æſtum caput velatum habuerat, Matre monente, vt Eccleſiam velato capite introiret, materno conſilio neglecto, velum amouit & ſertum geſtans in capite, Eccleſiam maiorem ingreſſa, ſepulchro Beati Martyris Staniſlao appropinquauit. Cumq; in orationem procumbens, caput in terram paululùm reclinaſſet, ſertum illi ex capite decidit, quæ eo reſumpto ſurgens, crines adornare & ſertum vertici iterum imponere conata, vniuerſam capitis comam detraxit: & omni Cæſarie nudata decaluataque, non ſecùs atq; ſi acutiſsima nouacula raſa

foret

foret in conſpectu omnis multitudinis, apparuit. Quo tali confuſionis opprobrio videns ſe pro ſua temeritate ad ſepulchrum viri ſancti deprehenſam, contritione ei tunc per preces, & merita B. Staniſlai, inſpirata, ſuadente, & facinus ſuum publicè in totius populi conſpectu proclamare non erubuit: & ad Sacerdotem accedens, abſolutionemq; ſuſcipiens dignâ pœnitentiâ ſcelus ſuum expiauit, per confeſsionis ignominiam, meritis & ſuffragio B. Staniſlai ad ſalutiferæ compunctionis & pœnitentiæ fructum eſt perducta.

CAPVT XLVII.

Tempeſtate maris iactati, ab exitio, D. Stanislai munere conſeruantur.

VEenienti ad limina Beatorum Petri & Pauli, in vrbem Romanam, comite Ianuſsio, viro nobili, filio Iaroſlai, cum nepote ſuo germano Petro Henrici fratris filio, & alijs quam pluribus, Petrus Polonus Clericus Bononiam conſequendæ canonicalis ſcientiæ gratiâm aditurus: ſocietati illorum comes indiuiduus acceſsit, deferens ſecum Beatiſsimi Staniſlai reliquias, cum ſupplici deuotione, pro ſui itineris ſecuritate conſequendâ, à Prælatis & Canonicis Cracouienſibus impetratas: proſpero autem vſi ſucceſsu Aquilegiam peruenientes, conducta naui multorum aliorum conſortium ſortiti, pelago Venetias nauigant.

Tem-

Tempestatis autem periculum quod ex euidenti coniectura, propter aëris & temporis intemperiem venturum reformidabant vitaturi, alto mari neglecto, ne fluctibus & procellis obruerentur iuxta littus ad quinq; vel sex sagittarum iactus nauigationem suam peragebant. Cumq; propè ciuitatem Carniolam adnauigassent, subita tempestate còórtâ, in extremum vitæ discrimen delati, reducere nauem ad littus & aridam maximo conatu, maximoq; nisu æstuabant: verum Mari magis ac magis intumescente, obluctantibus fluctibus, omnes conatus humani recedebant in irritum: adeo autem vndarum vorticibus grauidata iam extabat nauis, licet frequenti eiectione vndæ certatim ex illa effunderentur: vt singulis existentibus aqua ad genua ascendisset. Per validas deinde obstrepentes procellas, clauo & antennâ confractis, submersionis exitium subituri pauidi & trementes opperiebantur. In desperationem, itaque omnes versi varios sanctos pro varietate regionum: alij videlicet Sanctum Iacobum, alij Sanctum Nicolaum, alij S. Martinum: Poloni vero B. Stanislaum proclamabant. Tum Petrus Clericus prolatis in publicum, quas secum deferebat Beati Stanislai reliquijs, cæteros omnes bono animo esse iubet. En inquit nobiscum præsens est, cuius inuocamus præsidia, confidite tantum: non sinet nos vltimum naufragium experiri. Ad quam cohortatio-

nem, cum omnes mentes extremâ desperatione perterritas fractasq; in spem meliorem erexissent, clamor omnium tollitur in cælum : & cæteris sanctis omissis, solius Pontificis & Martyris glorioſissimi Stanislai patrocinium ab omnibus expetitur. Sub cuius supplicationis momento, vna procella cæteris crassior atque eminentior repentè adueniens, nauem in altum sustulit, & pæne in ictu oculi in quoddam vicinum arundinetum proiecit. Euersâ autem naui, quàmuis omnes terram contigissent : nemo tamen ex illis fuerat desideratus; sed salui & incolumes cum rebus & personis, singuli in vndis, aliqui vsq; ad pectus, aliqui ad brachia, aliqui collotenus persistebant. Sedata autem tempestate & naui refecta dum prosperiore nauigatione Venetiarum in vrbem peruenissent. Virtus diuina & sui Martyris, S. Stanislai meritum ab vniuersis in commune diuulgata extollebatur, pro compertoq; tunc habitum est quod Sanctus Dei Stanislaus Martyr potenti sua intercessione, & merito non in terris solum, sed in vndis, atq; in pelago, non in vna tantummodo Polonorum gente & natione, sed in vniuersis mundi nationibus & climatibus, suam clementiam, suaq; suffragia mortalibus se inuocantibus monstrauisset. Beneficiorum quoq; Martyris etiam ipsa iumentorum & brutorum corpora expertia non sunt, quod sequens declarabit prodigium.

CAPVT XLVIII.

Blaſphemo Hero, & iumento innocenti, S. Stanislaus oculos reſtituit ac donat.

HOnoraturi Sanctum Dei Stanislaum, & eius limina viſitaturi, cum iam de ſanctitate illius & prodigijs atq; miraculis ſtupendis aſsiduè crebreſcentibus, celeberrima per vniuerſam regionem Polonicam & eius vicinia, haberetur opinio: nonnulli homines de Lancicienſibus & Maſouienbus regionibus, vtriuſque ſexûs glomeratim cateruatimq; Cracouiam pergebant: inter quos vnus Matthæus nomine facetior cæteris habebatur, ſuauitate ſuarum facetiarum cæteros homines prouocans in riſum. Qui & equum habebat monoculum qui victualia & ſarcinas peregrinationis tempore, pro ipſo Matthæo & comitibus ſui itineris aduehebat. Cum itaq; vna ſimul pergerent: & iocoſis facetijs, ad leuandum itineris laborem, viciſsim vterentur: ampliorem illis facetiarum opportunitatem mero de quo plus ſolito ea die hauſerunr ſubminiſtrante: præfatus Matthæus cæteris loquacior & facetior huiuſmodi deliramentorum facetijs in Sanctum Dei Stanislaum vti pergit. Quid admirationis inquit eſt & prodigij, ſi Sanctus Martyr noſter Stanislaus in atria Domini & in potentias eius cum triumphali palma ingreſſus: hominibus mortalibus tamen ratione vten-

tibus, ipſum pro varijs ſuis neceſsitatibus & morbis curandis interpellantibus viſum, auditum, greſſum, & alia innumerabilia beneficia ſoleat rogatus conferre. Quanto verò celebriùs foret miraculum, ſuæq; ſanctimoniæ ampliùs indicium, ſi in bruta quoque animalia poſcendi & ſupplicandi virtutem non habentia prodigiorum ſuorum efficaciam extendens, præſenti tempore equo meo monoculo tribueret oculum amiſſum: prodigioq; huiuſmodi declaret ſe beneficium etiam non petenti poſſe conferre: qui ſolitus eſt niſi ſupplicanti atq; petenti beneficium præſtare. Cumq; huiuſmodi ingeminaret blaſphemias, & arguentibus eum de tam inconcinnis facetijs, cæteris ſuis contribulibus vaniloquus & illotus ſermo, ab eius ore non poſſet per correctionem fraternam explodi, oculus illico eius crepuit. Equus verò ſuus oculum quem, dudum amiſerat, habere integrum cæpit. Stupore deinde cunctos peruadente: mæror etiam & anxietas, & confuſio omnium pectora occupat, ſuper ſocio tam ſubita aduerſione percuſſo. Celebratur inſuper per ora omniũ Diuinæ potentiæ, & ſui Martyris Stanislai admirabilis magnitudo, qui prodigioſo vltionis temperamento: dùm blaſphemo oculum auferens, iumento donaret. Tum demum Matthæus cæcitate huiuſmodi vexatus: intellexit ſe non facetias, ſed blaſphemias in Deum & Sanctum eius Stanislaum protuliſſe: & reatus

tus sui magnitudinem recognoscere cæpit. Quapropter ad sepulchrum Martyris Dei Staniſlai Cracouiam perueniens, in animo humiliato & contrito de scelere suo, facta priùs confessione pœnitentiam agens fletibus illud, & assidua ad sepulchrum Sancti Dei Staniſlai supplicatione expiabat, donec miserationum Dominus per suffragium Martyris sui Staniſlai, illum respiciens, oculum quem blasphemando amiserat, consolidando instauraſſet, vtriusq; oculi præstando pœnitenti sanitatem: & in suarum misericordiarum multiplicatione, quemadmodum Dauid cecinerat hominem saluaret, & iumentum.

CAPVT XLIX.

Ex incendio nobilem virum, inuocatus, eripit Sanctus Stanislaus.

CVm plures Polonorum milites ad expeditionem generalem per Summum Pontificem contra Pruthenos idololatras, & barbaros cruce assumpta ad bellandum, & ad exterminandum prædictos Pruthenos accincti Pruſsiam se contuliſſent, & bella illic pro Christianis & fide Catholica cum barbaris assiduo gererent, fidei orthodoxæ illos subiugaturi, Andreas de Moravica miles spectatæ in illorum numero probitatis vir habebatur: qui à suis progenitoribus audierat, didiceratq; Beatiſsimum Staniſlaum Cracouiensem Episcopum

pum ſanctitate fore inſignem & celebrem & multa prodigiorum clareſcere ſublimitate. Quapropter ab annis ſuæ pueritiæ & quouſq; in virile robur euaderet, & deinceps ſingulari in Sanctum Dei Staniſlaum ferebatur deuotionis ardore, ſingularem illi, miro religionis, & reuerentiæ affectu, præſtans reuerentiam, atq; cultum, ſeq; & ſua omnia, ſuaſq; neceſsitates, Sancto Dei Staniſlao, pro omni loco, & tempore commendans. Accidit itaq; bella illi in Pruſsia gerenti, vt Pruthenorum potentijs afflictis ad curiam vnius nobilis Prutheni pulchram nimis & munitam, cum comitibus ſuis deueniens, incendere illam igni à cæteris monebatur: quorum iuſsionem executurus diu ſatis hærendo, inueſtigabat ſolicitus, quonam modo curiam ipſam vndiq; clauſam & obſeruatam introiret; tandem poſt diligentem explorationem, porticum vnam ſatis anguſtam, humilem, & decliuem adeò, vt ex equo deſcendere cogeretnr offendens, penetralia curiæ irrupit, & locis aliquot flammas ſubiecit: verum cum incendium illud correptis omnibus incircuitu latius manaſſet, Andream etiam militem parte ab omni circumdatum incluſit: & cum euadendi omnis adempta foret atq; effugiendi poteſtas: iamq; in ſuum etiam auctorem ſæuiebat: ſed nec comites ſui qui circum ſtabant ab extra ad ſurripiendum eum de flammarum medio aliquam nauabant operam: exiſtimantes il-

tes illum de medijs ignibus dudum exſiluiſſe. Itaq; in tam periculoſo neceſsitatis vel potius mortis imminentis articulo poſitus: cum ſe videret, à flammarum peti voragine: & à comitibus clamorem ſi quem ederet percipere non valentibus, nullius ferendi ſolatij ſpes reſtaret, in flammarum poſitus medio, ad Patroni ſui B. Staniſlai ſe totus præſidium conuertit: Sciens fidenſq; quòd Beatiſsimus Sraniſlaus, deuotione ſibi adſtrictos, & in ſe ſperantes, nunquàm deſeruit; ſed pio & forti præſidio vbilibet illos protexerit. Grauibus itaq; ſuſpirijs ad Deum ingemiſcens precabatur ſe per B. Staniſlai interceſsionem & ſuffragia ab imminenti flammarum exitio conſeruari. Nec mora, Beatiſsimus Staniſlaus affuit, & fideli famulo ſuo hinc indę, quô gradum figeret anxie proſpectanti: ferens auxilium flammarum globos diuiſit: euadendiq; poteſtatem fecit. Ipſe ſiquidem Andreas dum aduertiſſet, quòd nuſquàm alias notare poterat, flammam in cameræ modum contra porticum, qua intrauerat diuiſam fore præparatum ſibi effugium per merita Beatiſſimi Staniſlai intelligens: ad porticum illam accedens, & eam latam, & ſpatioſam in portæ modum, vt ſibi videbatur, & quam paulò ante arctam, & anguſtam nouerat reperiens, equo inſidendo, quæ tamen paulo ante ſeſſorem equitem non capiebat, illæſus & omnis exuſtionis expers exiuit. A comitibus autem de

incolu-

incolumitate ſua & euaſione magna ſtupentibus, admiratione, cum ingenti hilaritate exceptus mirificum Beatiſsimi Staniſlai ſolatium quod illi, in flammis medijs inuocatus præſtiterat, & quonam modo incolumitatem illi donauerat in omnium auribus recitauit. Quapropter in amorem & deuotionem Beati Staniſlai Martyris omnium, qui hæc audiuêre, concita ſunt corda: Magnificabaturq; ab vniuerſis Dei in Martyre ſuo Staniſlao potentia, per cuius ſuffragia, & merita tam naufragiorum, quàm incendiorum, à fidelibus ſuis, auerterentur pericula. Et ſanctus ipſe magnus in cælo: magnus in terra, magnus in vndis, magnus in flammis, ſemper & vbiq; habitus fuerit clarus, mirificus, potens, & inſignis.

CAPVT L.

Palatinus Cracouienſis Pelka, cum filio ſuo, Poſnaniæ à Stanislao redditur ſanitati.

PAlatinus Cracouienſis Fulko, quem lingua polonica Pelkam appellat: cum graui infirmitate correptus, in grabato decumberet, ſtertenti illi potius, quàm dormienti, vir venerandus ornatus Pontificali veſte apparuit, & trementem conſolatus, ac bono animo eſſe iubens, ait illi: Ego ſum Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus, cuius meritis te non dubites ſanatum iri dic vniuerſis quaslibet neceſsitates ſuſtinentibus;

bus: vt fiducialiter curæ meæ se permittant: mea quoque suffragia inuocent, & sepulchrum visitent, omnium necessitatum suarum votiuam consolationem meâ intercessione recepturi. Cum autem æger eâ visione perfunctus euigilasset: & de his quæ viderat stupens secum tacitus volueret, in dormitationem priorem relapsus, tandem secundo parem priori habuit visionem: & expergefactus, & in ampliorem admirationem versus, quid sibi tam prior, quàm secunda vellet visio, vario mentis discursu pertractabat. Iterum tertio idem Pontifex sibi apparens monuit hominem bene de se sperare, & sanitatem consecutus; cæteros quoq; eiusdem spei esse iuberet: qui euigilans & se integræ sanitati restitutum cognoscens, præconem se viri Dei constituens, magnifica eius in vniuersos suffragia cæpit efferre. Processu deniq; temporis cum filius eius Posnaniæ grauiter langueret, & medicorum iudicio in mortem destinatus foret: Pater eius Fulko Palatinus, seriùs admirationis sibi factæ per visum recordatus, cum fletibus & lamento filium iam agentem agonem Beatissimo, cæpit deuouere cum magna fiducia Stanislao, suppliciter interpellans, vt quod sibi tripliciter pollicitatione firmauerat, in ægro suo, & iam moribundo exequeretur filio. Ad quam vocem filius oculos aperiens & patrem fletibus madentem videns; quid inquit pater mi de Beatissimo mihi narras

Staniſlao : at ille : voueo te inquit fili mi Beato Staniſlao, & tuæ ſalutis curam ſuæ ſanctitati committo: ſperans te eius meritis ſanandum. Tum æger ſalubrem inquit rem licet tardiuſcule egiſti pater : precibus enim Beatiſsimi viri Staniſlai, & tibi ſum redditus, & vitæ. Iube ergo me celeriùs, ad ſepulchrum ſuum deduci, pleniorem illic liberationem continuò adepturum. Tum Fulko Palatinus grandi ſolutus móèrore gratiarum actiones, in Deum & Sanctum ſuum Staniſlaum, cum omni domo & familia ſua reſonabat. Et quoniam nox intempeſta, quæ filius popoſcerat fieri prohibebat : diluculò erumpente filium Cracouiam ad ſepulchrum B. Staniſlai cum oblatione ſolenni deduxit : vbi flenti, oranti, eiulanti, propitiatio Diuina filio ſuo Poſnaniæ, ad inuocationem ſui dilecti Martyris, pleniorem incolumitatem eſt largita.

CAPVT LI.

Ad honorem D. Stanislai promouendum Deus Falislaum nobilem, ſanitate reſtituta, & morbo vltore negligentiæ, verbereq; adhortatur.

VIſlao Cracouienſi Epiſcopo, qui annis duodecim ſedi eidem præfuerat, mortuo; Prandota de Białaczow in eius locum ſubſtituto, Faliſlaus miles, grauiſsimâ ægritudine tempore oppreſſus diuturno, eam per quietem habuit viſionem. Videbatur ſiquidem

ſibi quod in cuiuſdam celeberrimi feſti die ad agen-
'dum rem diuinam, apud maiorem Cracouienſem Ec-
cleſiam pulſarentur campanæ. Et æger ipſe vt ſolen-
nitati quoq; tam feſtiuæ intereſſet, ad Eccleſiam præ-
dictam, gradu concito properaret, ad pedem montis
poſitus, Viſlaum Cracouienſem Epiſcopum pridem
abſumptum rubro & Pontificali indumento ſe ſpolian-
tem offendit. Quo viſo grandis illi admiratio inceſsit:
cogitareq; tacitus cæpit, quid cauſæ exiſteret, quòd
Epiſcopus ſe Pontificali nudaret amictu, & parum ri-
tè ſolennitas illius diei Epiſcopo rem Diuinam non
agente poſſet expleri: ad quem, eâ admiratione di-
ſtentum, Viſlaus Epiſcopus conuerſus, quaſi eius ad
liquidum cogitationes cognouiſſet. Superuacuâ in-
quit, admiratione percelleris: arceor enim ab huius,
olim, quàm adminiſtrabam Eccleſiæ ingreſſu, quo-
niam per annos duodecim, quibus illi præfui B. corpus
Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi iacere in terra puluere,
permiſi: Operam inſuper meam pro illius canoniza-
tione nouare neglexi. En vt deſidioſus & ſegnis, &
& pontificalibus indumentis expolior, & ab ingreſſu
Eccleſiæ abigor, tu verò à me rogatus, ad Prando-
tam Epiſcopum Cracouienſem modernum, & ſucceſ-
ſorem meum immediatum perge; meiſq; verbis illum
admone: quatènus meo deterritus damno, & oſſa
Beatiſsimi Staniſlai, honeſto in armario, vino lota re-

condat : & pro canonizatione eiuſdem toto conatu, totoq; niſu promptus, & ſupplex incumbat : Faliſlao verò reſpondente : non dabit inquit fidem ſermoni tuo nomine à me perferendo Prandota Epiſcopus: ad quem Viſlaus adiungas inquit & hoc illi, quòd prolaturus ſum & credet. Si inquit auſcultaueris, ſi debita intentione, & horrendã quam pertulit Beatus Staniſlaus mortem, & cauſam Martyrij, pro qua ob impio Rege mille fruſtulis, cæſus eſt libraueris : facile quæ implenda decerno exequeris. Et ſi meis rogationibus & monitis non flecteris, ſaltem prodigiorum magnitudine, quæ per ſanctum ſuum in omnes ægros & neceſsitatem patientes affatim operatur Dominus mouearis. Sed & hoc in documentum aſſume, quod ſi annulus ſuus in plurimis operatus eſt ſanitatum virtutem : quid putas ? oſſa illius poſtquàm de terra leuabuntur operaturà ? His dictis cum tam efficax viſio diſparuiſſet : ſanitas etiam illico plena atq; perfecta Veliſlaum eſt conſecuta, quæ & quaſi maiorem efficatiam præſtitiſſet viſioni. Faliſlaus tamen quod ſibi à Viſlao Epiſcopo iniunctum fuerat, denuntiare Prandotæ Epiſcopo mandatum neglexit. Quapropter poſt tres hebdomadas, quibus ſanus incedebat, in ægritudinem relapſus eſt recidiuam; Inqua dum ſingulorum æſtimatione moriturus in extaſim peruenisſet : vidit virum ſuperpelliceo veſtitum ſuper ſe ſtantem :

tem, ſe quoq; cum quadam indignatione obiurgantem, atq; dicentem. Quare te præſtitiſti, mandatorum, quæ à me acceperas, & quorum impletionis gratiâ ſalutem quæſiueras, neglectum. Meritò itaq; præſenti verbere affligeris, ampliori ſi contumax perſtiteris verberandus. Ad hanc vocem Faliſlaus pallore quàmuis nimio, quem ex vultu terrifico admonentis & obiurgantis ſe perſonæ contraxerat refertus, è grabato repentè conſurgens adaptari, ſterniq; ſibi equum, familiaribus imperauit: innuens ad Epiſcopum, Prandotam extemplo profecturum. Quibus inter ſpem & metum poſitis, quippe vix adduci poterant Dominum ſuum compotem mentis & ſalubritatis eſſe iuſſa perficientibus, equum præparatum, plena iam potitus ſanitate conſcendens, ad Prandotam Epiſcopum venit, & viſione, quàm viderat, fideliter exordine denuntiata: & pœnam inſuper, quàm pro negligentia irrogatam pertulerat, enarrauit.

CAPVT LII.

Mulier annulo D. Stanislai benedicta ſanatur.

ADleydis matrona Theutonici generis, & religioſa, & deuota, anno integro graui febre vexata, membra illius & viſcera, aſsiduè & excruciante, & depaſcente, cum in grabato ſuo de vita deſperans, nocte media, anxia decumbens, iaceret: & cæteris omnibus,

bus, qui in domo fuerant somno grauatis, sola filia illius, de matris ægritudine solicita vigilaret: Matrona quædem sibi ignota, & nunquam alias visa, facie & vultu veneranda, per ostium habitaculi, in quo ægra iacebat, visa: admonuit eam proprio nomine compellans & dicens; consurge Adleyda, & ad sepulchrum B. Stanislai perge, meritis suis & suffragio bonam valetudinem perceptura. Denuntiabis autem Troiano Cracouiensis Ecclesiæ Custodi, vt Prandotam Cracouiensem Episcopum admoneat, ne ossa viri Sanctissimi Stanislai vlteriùs in occulto delitescere permittat: sed vino & aqua abluta, in vase mundo recondat, quàm si visionem meam præsentem neglexeris, scias te à cruciatibus, quos pateris solui non posse. Ad hanc vocem & visionem expergefacta, prona exgrabato consurgens, & tam filiæ, quàm cunctis alijs, in domo secum vna commorantibus, visionem edicit, & vt primum subsequens dies illuxit, Cracouiam petens, sepulchrum Sancti Dei Stanislai adijt, & pro sua liberatione, supplices ad Deum fudit preces. Eam tamen denuntiationem, quæ Troiano custodi patefacienda erat, matronali pudore suppresit. Quapropter iuxta oraculi visionem sanitate potiri non valuit. Sequenti vero nocte dum solito maturiùs consurgens, filia dormiente, in oratione persisteret: videt virum venerabilem ante se consistentem, atq; lingua Theutonica,

tonica, sibi imperantem, atq; dicentem. Vade inquit Adleyda Cracouiam, & ad Troianum Custodem Cracouiensem, iuxta prioris oraculi, quòd per Matronam tibi nocte quæ præcessit monstratum est, vissione mandata mea deferas vt adeat Prandotam Episcopum, & ossa mea leuata de puluere, & vino lota & aqua, vasi mundo includat. Tu verò ad sepulchrum meum Cracouiam quanto celeriùs adi: & signaculi annuli mei benedicta illico consequeris sanitatem. Quod dum altera die expleuisset, geminatamq; visionem, & admirationem quam viderat, & audierat apud Troianum Custodem Cracouiensem, ex ordine enarrasset, annulo insuper Dei Stanislai fuisset signata, perfecte & integrè continuò bonæ valitudini se sentiens restitutã, Sanctum Dei Staniflaum, suæ salutis auctorem multifarijs cæpit mirificè laudare, atq; efferre præconijs.

CAPVT LIII. Et vltimum.

Beatus Stanislaus Ciui leuato in oratione se videndum inter turbam multam præbuit.

OMissa cæterorum miraculorum, quæ restabant multitudine, ne longiùs progressus fastidio sim lectori: præsertim cum etiam inferenda erunt pleraq; in sequentibus, quæ canonizationem Sancti Dei sunt secuta: ideo vnum tantummodo pro conclusione subijciam. Swantoslaus, oppidi Episcopalis Slawkow

Ciuis:

Ciuis: arte Coriarius, vir ſimplex, & rectus, ac in Deum magnæ deuotionis, & Eleemoſynarum largitione profuſus. Operi quidem ſuæ artis interdiu vacans, noctis verò ſpatia in orationibus abſumens. Cum æſtiuo tempore antelucanam horam præueniens in ſuæ ædis ſuperiori cænaculo oraret, iuxta morem in ciuitatis prædictæ vltra pontem & fluuium Przeniſcha, qui ciuitatem præterfluit, poſitæ: copioſam & penè innumerabilem populi de ſexu vtroq; multitudinem videre cæpit. Suſpicatuſq; hunc hoſtilem eſſe exercitum, & hoſtilia illico attentaturum, vario ſiquidem hominũ genere erat refertus ſubito & ingenti concutiebatur pauore, tam ſibi, quàm ſuæ ciuitati metuens, & quod periculum imminere crediderat, magnopère perhorreſcens. Tenebat autem inter illos medius editiorem locum, vir vnus pontificali amictu inſignis canitie reuerendus & vultu: Clericorum ſtipatus multitudine, candidis veſtimentis, & ſtolis indutus. Sed & quam plurimi viri Religioſi & ſpectabiles, quibus & fœminæ fuerant permixtæ, latera eius frequenti caterua ambiebant, vniuerſæ præterea & innumerabilis illus multitudinis ora in ſolum Pontificem, notabat conuerſa, quæ etiam ſe ad illius benedictionem excipiendam ſupplex & procliuis, in genua humiliabat. Pontifex enim prædictus ex eminentiori loco proſpectans: omnem illam populorum ſeſe comitan-

mitantium multitudinem, manu ſua contra quatuor mundi partes videlicet Orientem, Occidentem, Auſtrum, & Septentrionem, in ſublimè extenſa frequenti & multiplicata ſanctificabat benedictione. Qua impenſa omnis illa multitudo egregie ordinata, vexillis quam plurimis, & ſignis præcedentibus, Epiſcopo conſiſtente in medio, pontem & fluuium de quibus præmiſimus tranſgreſſa, verſus ciuitatem & Eccleſiam, Sławkowienſem viſa eſt inceſsiſſe, qui tam præcedens, quam ſequens populus, vno ore, & vna voce ceciniſſe: Benedictus qui venit in Nomine Domini. Cum autem omnis illa pompa longo ſpatio tenderet, & Epiſcopus contra cænaculum, in quo Swiantoſlaus coriarius orauerat peruenisſet: retraxit ſe Swiantoſlaus prædictus infra cænaculi columnam, & per rimam quandam, quæ agebantur contemplans, Pontificis præfati ampliſsimum ſplendorem & gloriam, tacitus ſecum, & ſtupens mirabatur. Et continuò vir vnus ex illa cohorte canus cæſarie, & vultu venuſtus, qui & ipſe ſtolâ candidâ amiciebatur, & de ordine prætereuntis, ſuſpenſo gradu multitudinis diuertens, Swiantoſlai coriarij domui appropinquans, ipſum in extaſi & ſtupore poſitum euocat & nomine proprio compellat. Quare inquit Swiantoſlae exagitaris ſtupore & admiratione? noli deniq; latere, noli te oculis ſubtrahere noſtris: amici venimus non hoſtes præſtaturi

beneficia, non hoſtilia irrogaturi. Swiantoſlao verò ſtupente magis ad ſermonem, qui ſecum loquebatur viri & nec proloqui, ſed nec hiſcere quidem (ſubito enim obrigueraṭ tremore) auſo, interrogare vir ille Swiantoſlaum de reliquis pergit. Scis inquit Swiantoſlae, quis eſt Pontifex iſte tibi monſtratus, & quæ ſunt populorum, quas aſpicis cateruæ Pontificem præcedentes, aut ſubſequentes. Quæ ſe ignorare reſpondente, atq; dicente, (iam enim paululum ſe ex metu collegerat) neſcio inquit Domine. Iſte eſt inquit Beatiſsimus Cracouienſis Antiſtes Staniſlaus in conſpectu Domini Dei, & omnium ſupernorum ciuium Martyr Magnificus Polonorum protector, aduocatus & Patronus, & omnium ſe pro ſuis neceſsitatibus interpellantium ſuffragator, mirificus. Tam frequens vero, & tam numeroſa, quàm conſpicis populorum multitudo, quæ virum Dei præcedendo, & ſubſequendo comitatur, & in ſuum decus modulatur laudes, Chriſtiana gens eſt precibus & meritis Præſulis Sanctiſsimi Staniſlai ſaluata & ſaluanda. Impoſuit deinde his dictis, illi præceptum dicens: tu inquit de viſione quæ tibi monſtrara eſt gratias referens Deo qui te reuelatione præſenti cenſuit dignum, perge Cracouiam & Fratri Vincentio de Prædicatorum Ordine quem in Eccleſia Sanctæ Trinitatis ſui Ordinis ad columnam ſedentem, & auditioni confeſsionum vacan-

tem

tem reperies, poſt confeſsionem, à te quoq; primùm peragendam, vniuerſa hæc quæ vidiſti, quæq; à me audiſti ex ordine referas: Inſuper & hæc illi annuntiabis, quæ præter hunc quem vidiſti virum Sanctiſſimum Staniſlaum Cracouienſem Epiſcopum, ſunt alij ſex in Polonorum Eccleſia Sancti quorum mors in conſpectu Domini cenſetur celebris & glorioſa, Beato Staniſlao ſanctitate & merito non inferiores per gratiam Diuinam ſuo tempore ſeneſcenti & in occiduum vergenti ſæculo, plurimiſque vitijs deprauato, & deprauando ad ſuſcitandam in mortalibus quæ tunc ampliùs refrigeſcet caritatem, & in ſalutem omnium populorum, gentis verò Polonicæ gloriam & conſolationem reuelandi. Quibus expletis vir ille cum Swiantoſlao colloquens, & omnis illa Sanctarum animarum ordinata legio, à conſpectu ſuo ſubtracta euanuit: Qui mira dulcedine ſpectaculi huiuſmodi perfuſus eadem die Cracouiam perueniens, Fratri Vincentio, quem in loco, ſibi aſgnato inuenerat, cuncta ex ordine quæ viderat & audierat fideliter enarrauit.

TRACTATVS TERTIVS.

In Canonizationem S. Staniſlai.

DE principali, tertiò Canonizationis Sancti Staniſlai difficultate: (poſtquam duobus alijs propitiatione Diuina defungi me contigit) ſcripturus bonitatis Diuinæ clemens, prouidaq́; ordinatio, vt illam vehementiùs ſolito ſtuperem, & admirarer menti inceſsit: quæ in id tempus, quo dilecti Martyris ſui Staniſlai canonizationem conſumari perficiq́; decreuerat: & Pontificem Cracouienſem, & Principem, raris & ſingularibus virtutibus refertos viros ſeruauit, quorum alter Prandota, fide, caritate, & religione plenus, & magnitudine virtutum egregius: alter Boleſlaus Lefzkonis albi filius: circa quem tunc rerum Summa Polonicarum, & Monarchia conſiſtebat, pudicitia, & religione inſignes habebantur. Acceſsit & Boleſlai Principis conſors Kunegundis Vngariæ Regis Belæ, Filia maternæ progeniei, à ſorore germana Sanctæ Hedwigis Poloniæ Duciſſæ, Sanctæ Elizabeth neptis germana: illuſtriſsima propago virginitatis altitudine, quàm in connubio maritali incontaminatam ſeruauerat, & ſtupendis quæ in vita & in morte in defunctorum reſuſcitatione, & in lan-

guen-

guentiũ curatione egerat miraculis præpollens: nihilo auiâ ſuâ Beata Heduigi, & matertera ſua Beata Elizabeth ſanctitate inferior, eo vel ſolum parum felix, quæ principatum apud Polonos ſortita eorum deſidia & neglectu, canonizatione huc vſq; inſignita non eſt, quæ in eam vſq; diem ſingularibus clareſcit miruculis: & ipſa pro canonizatione Sancti Staniſlai, omnes ſuas ducales facultates, magnifico & liberali ſpiritu effundebat. Acceſsit inſuper & vir venerandus Iacobus de Scharzeſchow, etſi genere originali & ſtaturâ puſillus, virtute tamen & doctrina ingenuus & magnus Vtriuſq; Iuris Doctor, Cracouienſis Decanus, & Vratiſlauienſis Canonicus, qui eloquentiam & doctrinam ſingularem quibus pollebat, ſed & labotes ſumptuſq; ſuos ad id vnum conuerterat, quatenus Sancti Staniſlai canonizationis glorificatio proueniret. Canonizationis ſuæ omnibus calcatis quæ ingerebantur, tam aduerſitatibus, quàm difficultatibus, animoſus & principalis inter nuntios cò̀operator. Acceſſerunt & alij nonnulli viri, tàm Religione quàm probitate inſignes, qui ſuas vſq; ad felicem canonizationis conſummationem nauabant operas. Quorum nomina in progreſſu narrationis ſubijciemus. Acceſsit poſtremo & vniuerſus clerus, Cracouienſis Diæceſis, qui pro canonizationis negotio votiuè expediendo deſingulis beneficijs certam quotam contribuendo libe-

ſaltem impendebat: verum proſecuturus propoſitum ad materiam principalem redeo.

CAPVT I.

Innocentius Pontifex ſuper vitæ ſanctitatem & Martyrium Beati Stanislai inquiri ſtudioſè iubet.

CRebreſcentibus Magnificis & ſtupendis prodigijs, quæ clementia ſaluatoris omnium Dei, per Beatiſsimi Pontificis Staniſlai merita glorioſa, in Cracouienſi Eccleſia, & alijs quàm plurimis locis, ad ſui nominis inuocationem operabatur. Boleſlaus Pudicus Polonorum Princeps & Monarcha, & Prandota Cracouienſis Pontifex, feruentis ambo vt præmiſimus deuotionis viri in Deum, nuntios ſuos ac totius Regni Polonici, & Eccleſiæ Magiſtrum, videlicet Iacobum de Skarzeſchow decretorum Doctorem, Decanum Cracouienſem ſuperius nominatum, & Magiſtrum Herardum, Canonicum Cracouienſem, Lugdunum Ciuitatem Galliarum ad Innocentium Papam quartum, Anno Domini Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tranſmittunt miracula Sancti Dei expoſituros. Quæ etſi Summo Pontifici Innocentio, in facie Conſiſtorij publici per Magiſtri Iacobi de Skarzeſchow, Decani Cracouienſis, organum grauiter & diſerte fuiſſent enarrata, ſanctitatis ſuæ & ſuſcepti Martyrij non tam validiſsima, quàm certiſsima iudi-

cia,

cia, ſummus tamen Pontifex, grauitatem in rebus ſimilibus, à Sede Apoſtolica cuſtodiri ſolitam obſeruans, Archiepiſcopo Gneznenſi, Vratiſlauienſi Epiſcopo, & Abbati de Lubens examen miraculorum Beati Staniſlai per literas ſpeciales, mandat & remittit: iubens illis ſingulariter, atq; iniungens, quatenus propter diuturnam & longæuam earum rerum, quæ de paſſione & Martyrio Beati Staniſlai ferebant, præter lationem, militem quendam centenarium (Gedka hic erat) cum omni diligentia & ſolicitudine examinare curarent. Qui etſi Sanctum Staniſlaum non nouerit; eos tamen, qui illum nouerant, & viderant, pro comperto ſciebatur nouiſſe. Illiſq; referentibus vitæ Beati Staniſlai puritatem & conuerſationem innocenter & & religiosè per omnem æuum traductam: nec non ordinem & cauſam Martyrij, miracula inſuper in morte & vita patrata plenariè didiciſſe. Qui etſi iuxta mandati Apoſtolici directam eis formam procedendo ſcrupuloſum ſuper ſingulis articulis per promotores, negotij producti egiſſent examen, & præfato Innocentio Papæ, de omnibus quæ per eos cognita fuerant, plenam per ſcripta feciſſent fidem: Papa tamen Innocentius rem cogniturus, & producturus ad liquidum Iacobum Weltren Fratrem Ordinis Minorum, virum religioſum, & raræ doctrinæ in Poloniam tranſmittit ad inſpiciendum perſonas teſtium productorum: &

præ-

præsertim ad inquirendum à duobus veteranis, & centenarijs hominibus in actis prioribus descriptis, qui dicebant ab aliquibus accepisse, qui Sanctum nouerunt eundem, & de ipsius honesta & clara conuersatione audiuerunt, & palpandum omnium testium productorum legalitatem: inquisiturum quoq; si Cracouiensis Diæcesis paganis, & Schismaticis Ruthenis sit confinis: nec non & videndum scripturas, libros, & Cronicas, & annalia, Sanctitatem & Martyrum Sancti viri testantia, ex Archiuis publicis, tam regiæ quàm Ecclesiæ assumenda. Cuius commissionis extat tale exemplar.

CAPVT II.

Literæ Summi Pontificis.

INnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Fratri Iacobo Weltren Ordinis fratrum Minorum, salutem & Apostolicam Benedictionem: Licet venerabili olim fratri Nostro, Episcopo Cracouiensi, & dilectis filijs Capitulo & Clero ciuitatis Cracouiensis, & diæcesis, suis nobis literis intimantibus. Quod mirabilis Deus in Sanctis suis piæ memoriæ Stanislao Episcopo Cracouiensi, tot, & tantis, det coruscare miraculis, vt illius sanctitas apertis indicijs comprobetur & ipsius inter alios Sanctos non inuocari suffragia sit indignum: Venerabilibus fratribus nostris, Archi-

Epi-

Epiſcopo Gneznenſi, Epiſcopo Vratiſlauienſis Diæceſis dederimus literis noſtris in mandatis, vt adſcitis ſibi viris religioſis, & Deum timentibus, de virtute morum & veritate ſignorum, operibus videlicet, & miraculis diligentiſsimè inquirentes, quæ, inuenirent, nobis ſuis literis fideliter intimarent: ipſiſq; in negotio huiuſmodi procedentibus, & præſcribentibus nobis, nos fidem adhibebimus, vt conuenit proceſſui eorundem. Quia tam in tanto negotio, grauitate, & maturitate præuiâ, eſt procedendum, te ad partes tranſmittentes, eaſdem auctoritate Apoſtolicâ, diſcretioni tuæ præſentium, in virtute obedientiæ diſtrictè iniungimus, vt à dictis inquiſitoribus, ſi ſuperſtites, & præſentes in Prouincia fuerint, an ſic proceſſerint, ſicut ſub ipſorum ſigillis recipimus, perſcruteris: & ipſorum actorum exempla, ad maiorem certitudinem tecum portes: faciens præſentari tibi eos, qui dicuntur fuiſſe à diuerſis infirmitatibus liberati: quos & quot potueris, ac illos duos centenarios, ſi ſuperſtites fuerint de quibus mentio eſt in actis, qui dicuntur ab aliquibus accepiſſe, vel eorum alterum, qui Sanctum nouerint eundem, & de ipſius clara & honeſta conuerſatione dum viuerent audierunt notabis: inquiſiturus ab ipſis an ita ſit, & inſpecturus, nihilominus deuotionem populi, & famam communem ſuper Martyrio & cauſa Martyrij nec non & ſanctitate

ipſius. Inquiras inſuper vtrum Diæceſis Cracouienſis Paganis, & Ruthenis, Schiſmaticis ſit confinis, vt per hoc ex ipſorum confinio lucrum prouenire valeat animarum: Ad hoc librum Cronicarum quo ad Capitulum pertinens, ad negotium præfatum ex Archiuo Ducis Poloniæ editum: & etiam librum Annalium, & Epitaphium conſidera diligenter, & his ſummarium ſub obteſtatione iuramenti vbi tibi viſum fuerit coram prioribus inquiſitoribus præſtiti plenius intellectis, ſi aliqui teſtes ſuper prioribus vel nouis articulis tibi fuerint præſentati eos iuratos in formam recipiendorum teſtium prudentium recipias, & diligenter examinare procures, & ſic inſtructus, ad nos vt per te ſuper his inſtruamur plenius reuertaris. Datum Peruſij ſeptimo Calendas Iunij Pontificatûs noſtri Anno nono.

CAPVT III.

Inquiſitio Romæ decernitur vitæ, generis, prodigiorum Commiſſarijs Beati Stanislai.

COmmiſſarijs Apoſtolicis Gneznenſi Archi-Epiſcopo Fulkone & Vratiſlauienſi Epiſcopo Thoma: & Abbate Lubenenſi, & fratre Iacobo Weltren Ordinis Minorum ſingula eis commiſſa: cum debita grauitate & maturitate exacta in facto canonizationis Beati Staniſlai expedientibus, & vniuerſa quæ compererant, redigentibus, in ſcriptum publicum & ſolenne: prio-

res

res huius negotij nuntij qui dudum in patriam fuerant reuersi : Videlicet Magister Iacobus de Skarzeschow Decanus & Magister Gerardus Canonicus Cracouiensis canonizationem Beati Stanislai apud præfatum Innocentium quartum solicitaturi ad curiam Romanam per Prandotam Episcopum Cracouiensem, & Capitulum sumptibus datis prouisi alterâ vice transmittunt: & quo res ipsa facilius transigi & obtineri posset, nuntijs præfatis nonnulli fratres Prædicatores, & Minores de domo & Monasterio Cracouiensi in literis Diuinis eruditi, & zelum Dei habentes adiuncti sunt; qui Papa Innocentio, apud Lugdunum (nondum enim Gallias liquerat) offenso, etsi grandia miracula stupendaq; opera, ordinem insuper & causam Martyrij Beati viri Dei Stanislai coram Papa Innocentio, & cætu Cardinalium in Consistorio publico organis proprijs diserte atq; splendidè enuntiassent. Examen insuper testium per Commissarios Apostolicos factum & inscriptis redactum ostendissent. Solicitudine quoque & vigiliâ ingenti, primùm quidem Summum Pontificem Innocentium quartum, deinde singulos Cardinalium, præcipuè tamen Ioannem Gaietham tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem causæ prædictæ Commissarium ad videndum dicta examinis testium specialiter deputatum : de consumando canonizationis munere frequentius obeundo vexa-

rent. Nonnullis tamen Cardinalibus propter vetuſtatem & longinquitatem temporis de veritate tam Martyrij, quàm miraculorum hæſitantibus, maiora quoq; & lucidiora experimenta ſanctitatis Beati Staniſlai depoſcentibus: nuntij in Poloniam iuſsi redire, noua mandata Apoſtolica Commiſſarijs prioribus Apoſtolicis afferebant; quibus mandabant ſcrupuloſius vitam, genus, ordinem, & cauſam Martyrij prodigia, ſanctitatem, & meritum, Beatiſsimi Staniſlai, & ab his quos iam examinauerant, & ab alijs inueſtigarent, ac per noua ſcripta & teſtimonia ſedem facerent Apoſtolicam de ſingulis certiorem. Ea difficultas virum conſulto ingeſta fuerit vt veritas de ſanctitate pateſceret ad liquidum Martyris: an vt ſolet Romana induſtria ad res aliquas honeſtiùs repellendas, difficultates inijcere: hanc quoq; difficultatem præfatam quis iniecerit incertum habemus; Nihil tamen hâc dilatione vir excellens atq; optimus Prandota Cracouienſis Epiſcopus factus ſegnior: quæ forte alium à perſequendo deſperare cògiſſet. Sed plenus feruore atq; zelo, & priores teſtes, & plures alios nouos, Gedkam tamen præcipuè militem centenarium apud Commiſſarios Apoſtolicos induxit: & altiori indagine ipſos examinari dictaq; eorum procurauit conſcribi: & anni dimidium in conficiendo huiuſmodi examinationis negotio, ſingula per ſe curans, & adiens abſumpſit.

C A-

CAPVT IV.

Actis canonizationis S. Stanislai Reginaldus Cardinalis contraueniens miraculosè ſanatur.

TRiplicato examine, ſuper vita, cauſa, & ordine Martyrij & famoſis magnificis miraculis: alijſq; omnibus, quæ ad conſummationem canonizationis viri Beatiſsimi Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi conducere viſa ſunt iuſtè & ritè expeditis: priores nuntij Magiſter Iacobus de Skarzeſchow, Decanus, & Magiſter Gerardus, qui & Goſtiuinus appellabatur, Canonicus Cracouienſis, cum fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, per Prandotam Epiſcopum & Capitulum Cracouienſe ſumptibus, qui negotio abunde ſufficerent prouiſi: ad Summum Pontificem Innocentium quartum qui nouem annis apud Gallias exactis Italiam redierat, vice tertiâ, Anno Domini Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio proficiſcuntur. Hunc cum in Peruſiorum vrbe offendiſſent nouum illi de vita Martyris, & miraculis Beati Staniſlai exhibent examen: noua omnium Pontificum ac Principum Polonicæ regionis, atq; Eccleſiæ ſanctitatem viri teſtantia offerunt ſcripta, & pro illorum ampliori firmitate etiam teſtes inſignes & quâlibet exceptione maiores, viuos, & præſentes producunt. In quos aut per merita Beatiſsimi Staniſlai collata fuêre mira-

cula : aut qui eos quibus conferebantur viderunt & nouerunt, à pluribus languoribus illos detinentibus, bonæ valetudini reſtitutos. Inquorum depoſitionibus clariſsimè conſtabat, quòd Sanctus Dei multis clauſtra linguarum inuocatus aperuit, & poſt horrificum vocis inarticulatæ mugitum vinculo nodatæ linguæ diſrupto ex ore obſerato ſenſibilis & rectus ſermo proceſsit; quòd cæcus recepit lumen, & quòd violentus dolor nube craſsi humoris obſcurans, & orbium ſede rapuerat luciferas gemmas orbibus iniecerat: quod multos morte ſtratos, ad vitam reſtituit, quòd lepræ maculam in pluribus depulit: quòd epilepticis paraliticis & contractis plenam valetudinem contulit, cui elementa videbantur famulari: ad cuius inuocationem frequenter incendium reſtinctum eſt pelagus & vndarum ſtridor. Aèrearum quoq; poteſtatum fragor quieuit: ad cuius iuſsionem purgatorium militem Petrum, quem triennio captiuum detinuerat ſoluit. Iam plures dies nuntij Cracouienſes ſolicitando quæ in rem viderant neceſſaria exegerant. Iam illis ſpes optima de negotij expeditione, à Papa & Cardinalibus promiſſa affulſerat: & veluti omnibus difficultatibus, ac impedimentorum obſtaculis defuncti, laborum ſuorum fructum glorioſum propediem, de quo illos Ioannes Gaietanus, Cardinalis Commiſſarius certiores fecerat, percepturi: felicem exitum negotij,

læti & alacres opperiebantur: cùm ſubitò eodem loanne Gaietano Cardinale referente audiuêre claram & certam, nullâq; fuſcam caligine, de quo Cardinalis ipſe ſtomachans, grandi commouebatur admiratione ad ambiguum & infectum recidiſſe Reginaldo Epiſcopo & Cardinali Hoſtienſe, qui Innocentio quarto abſumpto cathedram ſuccedens, Alexander vocitabatur vir magnæ grauitatis & prudentiæ, cui & reliquus Patrum conſcriptorum cætus authotitatem illius non proprium iudicium ſecutus aſſentiebat canonizationi viri Dei Staniſlai propter diuturnitatem & moram temporis, à die Martyrij ſui effluxi, perſeueranter obſiſtente, & indignum atq; incredibile adſtruente, vt claritas tàm illuſtris Martyrij, & tam inſignis ſanctitatis, ſi vera & non ſimulata exiſteret, tanto tempore ſedem Apoſtolicam, & vniuerſalem Eccleſiam latuiſſet. Commiſſarium itaq; ſuum loannem Gaietani Cardinalem, nuntijs Cracouienſis Eccleſiæ, magnâ turbatione & anxietate perculſis, quid facto opus foret conſultantibus, inſpiratus ipſe & indignitate repulſæ permotus, licet vt poſtea referre ſolebat fortuito ſe loqui credens, reſpondit non argumento humani teſtimonij, ſed adſtipulatione Diuinæ virtutis rem indigere. Quapropter neceſſe inquit habet Sanctus veſter Staniſlaus poſt tot quæ eum egiſſe compertum eſt prodigia, vnum finale ſi canonizationem ſuam perfici velit,

velit, operari miraculum, vt diſcordes in vnam & conformem ſententiam impellat, hi etenim qui obſiſtunt nomini, ſi nouo & prodigioſo ſigno, cum ſingula alia quaſi vetuſtate obſoleuiſſent, in dubium reuocent, ad conſenſum poterint induci. Ita Athleta glorioſiſſimo Staniſlao, qui pro fide, pro religione, pro veritate quàm maximis viribus & infinitis ſudoribus certauerat, qui innumeras plagas cæſus atque mactatus pertulerat: qui vitam ſuam totam virtutibus deouerat: quiq; vitam ſuam fortibus factis & Sanctis ac ſtupendis prodigijs condecoraſſet: iuſtiſsima canonizatio iniuſte & indigne negabatur: quamuis & vitæ Sanctitas, & Martyrij raritas, & prodigiorum multiplicitas, efficaciſsimum præberent ordinem ſanctitati: Quid agerent nuntij Cracouienſis Eccleſiæ & procuratores negotij dilecti Dei Staniſlai, quo gradum verterent, quem Patronum adirent; cuius ſuffragia implorarent ſingulis quodammodo per ſententiam Reginaldi Cardinalis, à tam ſolenni probationum genere in ambiguitatem auerſis. Quid inſuper ad conſummationem operis adderent, quo ſummus Pontifex & Cardinales moueri in canonizationem Sancti Dei poſſent. Reſtabat vnum vt deſeri ſe à Chriſto & Beatiſsmo Martyre ſuo Staniſlao, pro illius Eccleſia & veritate paſſo non poſſe tenaciſsimè confiderent: qui ideo Martyris ſui glorioſi Staniſlai canonizationis gloriam indifficultari

tari permiſit, vt eam illuſtriorem nouis prodigijs declaratam efficeret : negotio itaq; canonizationis viri Dei Staniſlai languidato, & ab omni ſpe & cura dilapſo, dum ſoli Cracouienſi Eccleſiæ nuntij ſupplicationibus & obſecrationibus nocte atque interdiu ad Deum intenti à fide non excidiſſent, ſola Diuinitas rei ab omnibus deſerta ſecura ſibi fuiſſe monſtrauit. Reginaldus Cardinalis Hoſtienſis Epiſcopus prædictus canonizationis Sancti & electi Dei Staniſlai, præcipuus hoſtis & aduerſarius, cuius etiam ſententiam & conſilium, propter notam hominis in vtraq; ſcientia ſolertiam & probitatem Papa Innocentius amplectebatur : graui adeò morbo correptus eſt, vt tam ſuo, quàm Phyſicorum iudicio prope horam exiſtimaretur moriturus : ex quo cum dies aliquot laboraſſet, vigilanti illi & in camera priuata ſolitario conſiſtenti Beatiſsimus vir Dei Staniſlaus in Pontificali amictu cum magno claritatis fulgore apparuit, & in grabato iacenti, de viſioneq; & ignota perſona, & inſolito fulgore ſtupenti : vir Dei Staniſlaus ait : agnoſcis ne me? qui tremens ac ſtupens & verba vix formans : non agnoſco reſpondit : quæſo tamen quis ſis, qui cum tanta luce clauſis etiam ianuis cubile meum intraueris, edicas : cui ille : ego ſum inquit Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus pro nomine IESV Chriſti eiuſque etiam veritate, & religione glorioſo Martyrio, à Bo-

leslao Polonorum rege damnatus: cui tu te aduersarium non rectè de vita, Martyrio, & prodigijs propitia Diuinitate, à me patratis sentiendo constituisti: ad quem Reginaldus Cardinalis spiritu resumpto, ignosce ait mihi & ignorantiæ meæ Præsul sanctissime veniamq; præstare velis meo errori: fortiorem promotorem tuæ canonizationis, quàm impeditorem pertuleras habiturus: cui vir Dei Stanislaus, vt me inquit in conspectu Dei & Sanctorum glorificationem, & sanctificationem, Martyrium quod excepi consecurum esse agnoscas: ab ægritudinis tuæ quâ detineris grabato illico valens & incolumis consurge. Caue quoq; ne meæ canonizationi de cætero aduerseris: quam non in meam amplitudinem & gloriam, tantummodo quæ ego iam in videndo Deo plenissimè perfruor, sed in omnium fidelium salutem, consolationem & profectum Diuina decreuit consummare clementia. Reginaldo Cardinali omnia quæ iubebat obedienter se expleturum pollicenti: viso disparuit. Qui accersitis familiaribus sterni sibi equum, quo ad palatium papale vehatur imperat, familiares verò etsi Dominum suum, primum delirare credidissent, eo tamen sine adiutore, consurgente de grabato, & in equum conscendente in magnam & ipse extasim de subita Domini sui conualescentia versi: illum vsque in papale palatium læti comitantur. Papa deniq;

Inno-

Innocentius aduentaſſe Cardinalem Reginaldum, & incolumem eſſe, quem animam exhalaſſe iam crediderat intelligens: alacris illum excipit, & ſuæ congratulatur incolumitati. Papæ deniq; Innocentio ordinem & modum, tam ſubitæ curationis, à Cardinali percontante: reſpondit Cardinalis Reginaldus, Beatiſsimus inquit Martyr Dei Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus, cuius canonizationis apud tuam ſanctitatem fui impeditor: hâc eâdem horâ mihi cum claritate vix ferenda apparuit: & ignorantiæ meæ facinore benignè correpto etiam mihi in euidentiſsimum ſuæ ſanctitatis ſignum: ſanitatem quâ me ex homine paululò ante infirmo, & ad mortem indicato pollere vides reſtituit: & beneficium pro iniuria reſpondit: interminatus etiam vltionem ſi illius canonizationi deinceps reſtitero. Scelere itaq; ignorantiæ meæ apud te recognito, & in viri Beatiſsimi Staniſlai canonizationem pronus eo, & pro illius acceleratione ſupplex ad pedes tuos, ne diutiùs illam differas procumbo: interceſsionem etiam ſuam prolapſu in terram teſtando. Effectus autem huius miraculi, quaslibet relationes, & prodigia, quæ ſuperiùs in auribus Summi Pontificis, & Patrum conſcriptorum recitabantur perponderans, & quantalibet depoſitione ſolennior, atq; liquidior, ambigua & nutantia Cardinalium, & cæterorum Prælatorum curiam Apoſtolicam ſequentium,

pectora ad interpellandum pro viri Sancti Dei Staniſlai canonizatione accendit. Quamprimùm ſiquidem ad miraculum in Peruſinorum vrbe grauido & celebri ſermone vulgatum eſſet, & omnium mentes atq; pectora Polonorum præcipuè & nuntiorum Cracouienſis Eccleſiæ, canonizationem Sancti Dei ſolicitantium, admiratione inæſtimabili, & gaudio immenſo forent perculſa: omnes virum Dei Staniſlaum certatim canonizatione digniſsimum depromebant. Sed & Papa Innocentius cætus quoq; Cardinalium prodigio quod in Reginaldo Cardinali contigerat permoti, omnibus impedimentis, quæ tam diabolicis, quàm humanis interponebant commentis penitùs circumſcriptis, & quaſi quodam ſole, ſiccatis, nihil vltrà cunctandum rati: virum Dei Staniſlaum in ſua ſanctitate glorioſum & magnificum, canonizandum decernunt: diem quoq; Natiuitatis Dominæ noſtræ Virginis benedictæ MARIÆ, quæ tempori, quo ea agebantur extabat vicinior in Aſiſiorum Eccleſia, & in ciuitate qua vir Seraphicus Franciſcus corporaliter requieſcit. Illum enim Papa Innocentius venturum ſe firmauerat conſtituunt. Ita verbum Ioannis Gaiethani Cardinalis ad nuntios Cracouienſis Eccleſiæ fortuito prolatum, in effectum notatum eſt prodiiſſe. Voluit reor non fortunâ ſed prouidentiâ Dei eam ipſam quæ ingeſta fuerat difficultatem: ſed & tanti temporis quod effluxe-

rat

rat tarditatem, atq; moram, non impedimentum fore ex canonizatione Sancti Dei prouenturi muneris, sed probationem & documentum certioris, atque liquidioris suæ glorificationis. Verificari autem & defendi ea res potest quam scribo: si quis forte illam phantasticam aut commentitiam putet, per originalem literam à prædicto Ioanne Gaietano Cardinali Prandotæ Episcopo & Capitulæ Cracouiensi in pergameno scriptum, per nos frequentius visam, & contrectatam in scrinijs Cracouiensis Ecclesiæ repositam. Cuius tale extat exemplar.

CAPVT V.

Cardinalis testatur suis literis Beatum Stanislaum dignissimum canonizatione.

VEnerabili in Christo Patri & amico Clarissimo Episcopo Cracouiensi, & eiusdem Ecclesiæ Capitulo: Frater Ioannes miseratione Diuinâ tituli Sancti Laurentij in Luana Presbyter Cardinalis salutem, & Polonorum Regem glorioso laudum venerari iubet præconio, qui finitimum gregem ouilis dominici de insigni decorauit Martyre Stanislao. O iucundum Diuinæ pietatis iudicium quem Boleslaus vincendo vincitur, dum ex eius crudeli ministerio Prothomartyr Polonis egregius mirificè ministratur, gratuletur Cracouia se tantis prodigiorum felicitèr illustratam splen-

doribus, & ita coruſcantibus inſignitam vndiq; miraculis, quorum multitudinis ſufficiens eſt aceruus : lætetur Eccleſia Cathedralis cui iuſtus titulus, & bona fides glebam Sancti pretioſam totaliter appropinquauit, eum præſcriptione longi temporis, ex cuius felici præſentia, non ſolum accreſcit loco ſanctitas, ſed ex crebra populi confluentia famæ fæcunditas & honoris : gaudete vos & exultate ſpecialiter, qui quadriennio iam elapſo, pro tanti Patris canonizatione totis viribus laboraſtis, vt adſcriberetis Sanctorum Catalogo conſtituendo procuratorem, ad hoc Eccleſiæ veſtræ præpoſitum, virum, oculatæ diſcretionis, & omni circumſpectione prouidum, qui conſtanter laborauit, fideliter in curia proſequens negotium niſu toto. Sed quot afflictionibus, & anguſtijs affectus extiterat, in ipſa proſecutione cum collegâ ſibi deputato, non eſt nobis facultas in præſentia exprimendi, quoniam lingua deficeret, nec ſufficeret calamus : nec allegoricus inuentor : aduerſitates poſſent efficaciter, exarare. Nam ſi liceret obuiantium negotia, per acutos obices & denſatas obiectiones, ſeriatim per ordinem, prout ſe habet veritas, diſtinguendo deſcribere, vix haberet numerus in millenario tantas difficultates audientium, qui permonſtruoſis rerum perplexitatibus, vellet fiduciam narrantibus adhibere : frequenter enim contigit quod conſummatum, vel quaſi con-

iectu-

iecturis probabilibus æstimabant, negotium ex tunc, ex abrupto superuenit tempestas impeditiua, processus habitus, quæ de facto consumpsit, quod ratio prædixerat consummatum. Sic Saturni motus experti sunt, per effectum qui Planeta dicitur maleuolus, procedens & recedens ordine retrogrado, & sic longanimitet exercuerunt curiæ studium, qui multum profecti sunt, & parum profecerunt infra triennium non habente brauium cursu suo. Tandem vero cum redijsset Frater Iacobus legatus fidelis: & negotij firma sanitas vix obtenta fuerit, ad referendam particularem audientiam quamuis ipse vidisset curatos, & examinasset inquisitores primarios, qui processerant in omnibus fide bonâ. Nos vero finaliter stupefacti de tanta congerie probationum non admissa, Præposito procuratori diximus quasi parabolicè, necessarium habet Sanctus vester, vnum finaliter operari miraculum, quod discordantes in miraculis mirabilitèr faciat concordare. Et factum est, quòd vbi morbus grauior, ibi salus est suborta propinquior: & subitò priùs discordes conuersi sunt vnanimiter ad concordiam decernentes vniformiter talem virum canonizatione dignissimum: & per ea quæ fecit miracula, quorum extat luculenta probatio, veraciter esse sanctum. Sanè præfatum procuratorem & collegam ipsius, pro sua multiplici diligentia vestræ dilectioni recommendamus

mus multipliciter: Nam noſtrâ intereſt vt ij honorentur, qui nobis aſtiterunt in agone certaminis, ij tractentur per nos, tanquàm bene meriti ſaltem pro noſtro nomine reuerenter. Quidquid enim honoris, fauoris, vel gratiæ dictis amicis noſtris, tum pro ſua probitate: tum pro noſtro precamine, per vos exhibitum nobis impenſum eſſe generaliter æſtimabimus: & ad Eccleſiæ noſtræ defenſionem & conſeruationem, in ſuis viribus noſtram vobis exilem eſſe potentiam ad diligentem ipſorum inſtantiam, liberaliter præſentabimus. Valete in Domino IESV Chriſto.

CAPVT VI.

Canonizatur B. Stanislaus miracula fiunt.

NAtali Dominæ noſtræ Excellentiſsimæ Virginis MARIÆ adueniente, Summus Pontifex Innocentius quartus cum Cardinalibus, & reliqua multitudine Prælatorum ex diuerſis Prouincijs & Regnis, in Baſilicam Sancti Franciſci in Aſiſio ex Palatio Apoſtolico canonizationem D. Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi expleturus, deſcendit. Illamque, multitudine plebis, quæ futura viri Dei Staniſlai canonizatione, vulgatâ, pene ex omni Italia confluxerat, refertam, reperit. Quo, in Eccleſia præfata rem Diuinam ſolenniter peragente pietas agni cæleſtis, ipſi Summo Pontifici Innocentio, quanti meriti Sanctus canonizandus

zandus apud se foret innotuit. Adolescens enim quidam ex Asisio Ioannes in ipso canonizationis articulo, ad Ecclesiam Sancti Francisci, parentibus, fratribus, & necessarijs, magno eiulatu mortem immaturam deplorantibus, inferebatur, aut tumulandus, aut meritis Sancti canonisandi ad vitam reuocandus: propinquis itaq; parentibus & cognatis, pro eius resuscitatione obsecrationes & voces assiduas emittentibus, Innocentius Papa ante Altare, cui insistebat, prostratus, fudit orationem suam in hæc verba: O clementissime Domine, si ea quæ de viro Beatissimo Stanislao Cracouiensi Pontifice Martyre tuo in nostro conspectu enarrata sunt, veritate quemadmodum humana habet credulitas, nituntur: declara quæso hodiè nouum Sanctum à me canonizandum, nouo signo, & per resuscitationem præsentis mortui sanctitatem ipsius in conspectu populi adstantis magnifica, & illustra. Vix Pontifex Summus orandi finem fecerat: & defunctus nuntiatur ad vitam redijsse. Itaq; omnibus & stupentibus, & gaudentibus, ardentesq; cereos, & luminaria accensa, vt Ecclesiam continenti incendio arsisse putares, gestantibus Summus Pontifex Missarum solennia prosequitur: quibus expletis, sermoneq; longo, de vita, Martyrio, & Miraculis D. Stanislai facto, cathedram eminentiorem Summus Pontifex conscendens, B. Martyrem Stanislaum, & glorio-

ſum Cracouienſem Antiſtitem canonizat, & Sanctum in conſpectu Dei & hominum denuntians Sanctorum adſcribit, tam numero, quàm catalogo: mandans feſtum eius & natalis ſui diem, octauo Idus Maij, quo die, felici cruore conſummatus eſt ab vniuerſa Catholica, inter præclaras Martyrum feſtiuitates, ſolenniter, & cum debita veneratione, quotannis celebrari: decernens diem illum, omnibus Regibus, Pontificibus, Principibus, Optimatibus, nobilibus, ordinibus, dignitatibus, & vniuerſæ Polonorum genti, fore ſolennem, & feſtiuum: præſentibus autem omnibus, annum vnum, & dies quadraginta de indulgentiarum theſauro largitus eſt: orationem inſuper de præfato S. Staniſlao, tangens in ea ipſius ſanctitatis glorioſa, merita edidit, & per ſe publicè pronuntiauit: quæ incipit: Populum tuum quæſumus Domine, intercedente Beato Staniſlao. Non deſtitit deniq; omnipotentis Dei prouidentia, dum canonizationis perageretur opus mirificare dilectum ſuum Staniſlaum, Beatiſsimum. Nam in ipſo canonizationis, & pronuntiationis ſuæ articulo, Innocentio Papa conſiſtente adhuc in cathedra, vexillum de rubro colore, & puniceo contextum, Pontificalem perſonam habens pro inſigni in alto pendens Angelico geſtatum miniſterio apparuit, à pluribus Chriſti fidelibus, quibus id clementia Diuina reuelare voluit non ſine admi-

admiratione conſpectum rubro colore ſanguinis effuſionem ſignificans, & Pontificali perſona Beatiſsimum Staniſlaum aptiſsime figurans: fabricata inſuper eſt, & in Beatiſsimi Staniſlai decus & gloriam, & in illius canonizationis reminiſcentiam perennem, in latere & intra Eccleſiam Sancti Franciſci, in editiore loco capella à nobis aliquoties, frequentata atque viſa. In qua ſuum glorioſum Martyrium extat deſculptum. Omnibus autem ritè perfectis, cantico, Te Deum laudamus, à Summo Pontifice, inchoato, & à Clero vniuerſo ad finem expleto, facta eſt & generalis candelarum in homines, vtriuſq; ſexûs qui conuenerant, diſtributio, adeò liberalis & prodiga, vt illius liberalitatem ſinguli teſtarentur, ſe nullo, vnquàm, tempore vidiſſe: ſed nec ab ætate defluxa, audiſſe in hunc modum. Verè beatiſsimus Polonorum Patronus & Cracouienſis Antiſtes, qui ſeptuaginta quinq; & centum annis, abſq; canonizationis honore delituerat, non tam Summi Pontificis & vniuerſalis Eccleſiæ iudicio, quàm cæleſti demonſtratione, & ſigno inter Sanctas animas, & Diuinitatis participes tranſlatus eſt. In hunc modum inter celſiſsima ſidera, in firmamento cæleſti lucentia annumeratus. In hunc modum inter homines Diuinos relatus: in quorum omnium euidentiam pleniorem, etiam canoniza-

tionis literas, quas Cracouiensis retinet Ecclesia; exemplar quod est tale inseruimus.

CAPVT VII.

Describitur vigilantia & mors B. Stanislai festum illius decernitur celebrari.

INnocentius Episcopus, Seruus seruorum Dei: Venerabilibus fratribus, Archi-Episcopo Gneznensi, & eius Suffraganeis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Olim à gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, & ab eorum cordibus infidelitatis gelidæ hyeme secedente, vernalis ex eo successit amænitas, redolentium florum venustate decora: qui Ecclesiæ prius desertæ ac sterili filij deuotione præcipui, vallo quoq; constantiæ præmuniti nascuntur: Qui vt flores primarij, & diffusam spirant suauitatem odoris; & vberioris per Dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis, neq; liliorum sibi multitudine proueniente innumera: suiq́ue loco, à mari vsq; ad mare, infrà ipsius inualuit terminos vox virtutis, gemitûs ac dololoris, dùm sæua mutescens crudelitas Tyrannorum, idolis exterminio traditis, ad lamenta pænitentiæ, suffragante illo, cuius stupenda sunt opera mirifice se conuertit. Gaudeat itaq; ob hoc ipsa Ecclesia, quæ probrosæ detrimenta sterilitatis abijciens, salubris incrementa fertilitatis suscepit, ac nuptiali fœdere, nunc illi

gra-

gratioſa coniungitur à quo priuſquàm eſſet aſſumpta de gentibus, inuenerat ſe deſertam : lætetur igitur, & æmulæ ſuæ de terreſtri etiam eiectæ Ieruſalem Synagogæ, videlicet dudum ſibi huiuſmodi ſterilitatis incommoda impingenti ſecura reſpondeat, quæ iam ſuæ prolis fæcunditate cæleſtis muri Ieruſalem cicatrix obducitur : & quæ antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt : ipſa ſuæ vniuerſitatis illuſtrabit præſentia felici poſtmodum perfectione ſui atq; integritate gaudente. Porro ne huiuſmodi exuberante lætitiâ, quiſpiam in valle miſeriæ morientium terra requiem poſſet ſibi polliceri continuam, cuius vita eſt aduerſus inimicorum ingruentia bella, exterorum caſtra, militia ſuper terram, ac ne prædicta Eccleſia, quæ mater eſt cunctorum fidelium maternæ conditionis expers exiſteret : ſi ſolitas præſertim in partu quorundam filiorum ſuorum, matrum parientium, moleſtias non ſubiret, interdum inſtauratur, quodamodo ſibi aduerſitas opportuna. Sicut in paſsione piæ memoriæ Beati Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi, cuius meritis præfata reſulget Eccleſia, patuit euidenter. Cum enim idem in ſortem Pontificalis miniſterij dignè vocatus à Domino, ſuper gregis ſibi commiſsi prudenter cuſtodiam vigilaret hoſtium, ſagaciter explorauit inſidias, malignantiũ anticipauit conſilia : æmuliq; noſtri deprehendens laqueos ipſius cautè retiacula diſſoluebat. Hic

nempe pro ſuis ouibus cor ſuum tradiderat ad vigilandum diluculo : vt ſi quem graui forte deprehenderet tentatione concuſſum, mox vbere conſolationis adhibito eum erigeret deſolatum : quem in bono perficientem aduerteret, eum gratulationis vbere protinùs confortaret, vt non minus per hoc deficientibus, quàm proficientibus ſubditis, ſe claris indicijs oſtenderet eſſe matrem. Verùm cum non ſine internæ mentis anguſtia, Regem Polonorum nomine Boleſlaum, in tantum horrendis voluptatibus ſubijci, carnis quoq; nefandis illecebris cerneret eneruari, vt in paſsiones ignominiæ traditus & in humanis contumelijs afficiens, corpus ſuum mulierum mamillis auulſis proprijs exinde liberis catulos apponeret miſerabiliter educandos : ne execrandam fouere, malitiam, & iniquitati eiuſdem Regis videretur præfatus Pontifex per diſsimulationem fauere, poſtquam ipſum, à præmiſsis flagitijs ſedulâ & paternâ correctione euocare non potuit, in ipſum conſultò medicinalem Petri gladium exeruit in ſpiritu lenitatis : ſperans vt percuſſus dolens, ad percutientem in humilitate rediret Dominum exercituum ſuppliciter requirendo : ſed ipſe indurato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans diſciplinæ, immo malleum velut ſtipulam reputans : non ſolùm nulla pœnitentia ſe correxit, verùm etiam ad peiora in ſuæ damnationis cumulum pro-

uoca-

uocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, non tempori deferens: iussit Pontificalibus indutum Antistitem, per suos satellites diris corporis cruciatibus deputari: sed quoties ipsi in eum irruere tentant, toties compuncti mansuescunt prostrati: & tunc idem Rex suæ inseruiens impetuosus Tyrannidi, manus in eum conuertit sacrilegas: sponsum è gremio sponsæ, pastorem abstraxit de ouili: patrem inter filiæ amplexus, & filium in visceribus penè obtruncauit maternis: faciens irritatus atrocitate ferali: ipsius (proh dolor) corpus inhumaniter, in frusta concidi velut singulis membrorum partibus, pænæ inflictio deberetur. Sed ille apud quem patientia pauperum non peribit in finem: non solùm rutilantibus huiusmodi Sacratissimi corporis partes splendoribus illustrauit, verùm etiam ipsum nullo in eius cicatricis apparente vestigio, integritati restituens, aquilarum suarum præsidio miraculosè à ferarum morsibus præseruauit. Gustato deniq; accerrimè ob zelum iustitiæ calice passionis cum ab eodem tyranno totaliter putaretur, consumptus: ecce vt lucifer oritur, & quasi meridionalis fulgor in firmamento consurgit, propter quod eius faciem, in suis nonnulli necessitatibus deuotissimè deprecantur. Ipse quidem defossus securus dormit, requiescit, & non est qui iam ipsum exterreat, nec mirum quia ciuitatem illam honoris, & gloriæ corona insignitus inhabitat,

vbi

vbi eſt manſio ſecura, populus ſine murmure, ac patria totum id continens, quòd delectat: verùm ne militans Eccleſia de tali & tanto Patrono ſic atrociter ſibi ſubtracto, inconſolabiliter, quaſi gemitus ſingultuoſos emitteret, ſi beneficiorum ipſius affluentia, eam non contingeret ſæpiùs delectabiliter irrigari, ecce glorioſus in Sanctis ſuis Dominus, volens eiuſdem Patris plenitudinem gloriæ in dictis exprimere manifeſtis, & præſtolanti Eccleſiæ grata conferre ſuper hoc recreationis remedia, tot & tantis ipſum fecit famoſis miraculis coruſcare. De quibus facta nobis & fratribus noſtris, prout debuit per teſtes idoneos, plena fides extitit. Qui eius inter Sanctos cæteros implorare, ſubſidium reputauimus, meritò non indignum: nam mortuis vita, lumen cæcis, auditus ſurdis, verbum mutis, claudis greſſus, epilepticis cerebri robur, & dæmoniacis immundis ab eis eiectis ſpiritibus: corporum requies ad eius inuocationem nominis, cæleſti dextera ſubito conferuntur. Propter quod ne huiuſmodi rutilantem lucernam, ſub medio periculoſe abſcondi contingeret: quàm idem Dominus tot mirificis ſignis recte diſpoſuit, ſuper Eccleſiæ candelabrum, honorificè collocari, præſettim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur peruerſum hæreticorum dogma: & fidelium beata credulitas augeatur eorundem fratrum, necnon Prælatorum

tunc

tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, communicato conſilio, prædictum Beatum Staniſlaum Epiſcopum, digne Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum. Quocirca vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenùs octauo Idus Maij die videlicet, quo mortis abſolutus vinculo, victurus perenniter, ad fontem ſupernæ prodijt voluptatis, feſtum eiuſdem, prout miranda ipſius meritorum magnitudo exigit celebretis, & faciatis ſolenniter celebrari: vt id vobis de theſauris cæleſtibus eius pia interceſsione proueniat, quod ipſe præſtante Domino percepiſſe dignoſcitur, & poſſidere perpetuo gloriatur. Cæterum vt vniuerſitati fidelium inuiſibilis aulæ conſequendi delicias, ex conceſſa nobis poteſtate, deſuper propitiante Domino ſit facultas: quinimo & vt nomen exaltetur altiſsimi, ſponte ſuâ venerabilem ſepulturam fidelium procuremus acceſsibus frequentari: omnibus vere pænitentibus & confeſsis, qui ad dictam ſepulturam in memorato feſto, & vſq; ad octauas ipſius cauſa deuotionis acceſſerint. Annuatim ipſius ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius auctoritate confiſi vnum annum & quadraginta dies: accedentibus verò quotannis, ſingulis ad prædictum ſepulchrum, infra eiuſdem feſti quindenam, quadraginta dies, de iniuncta ſibi pæni-

tentia miſericorditer relaxamus. Datum Aſiſij quindecimo Calendas Octobris : Pontificatûs noſtri Anno vndecimo.

CAPVT VIII.

Inuocatio S. Stanislai in neceſſitatibus ſtatuitur.

INnocentius Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs, nobilibus viris, Ducibus Poloniæ Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipræsbyteris, ac alijs Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Olim à gentilium oculis tenebrarum deterſa caligine, ac ab eorum cordibus, infidelitatis gelidæ hyeme ſecedente vernalis ex eo ſucceſsit amænitas, redolentium florum venuſtate decora. Qui Eccleſiæ prius deſertæ ac ſterili filij deuotione præcipui : valloque conſtantiæ præmuniti naſcuntur, qui vt flores primæui, & diffuſam ſpirant ſuauitatem odoris, & vberioris per Dei gratiam, fructum ſibi proferunt honeſtatis, ſic quæ filiorum ſibi multitudinem proueniente innumera, ſuiq; loco à mari vſque ad mare tentorij dilatato, infra ipſius inualuit terminos, vox turturis gemitûs, ac doloris, dùm ſæua miteſcens tyrannorum crudelitas, idolis exterminio traditis, ad lamenta pœnitentiæ ſuffragante illo, cuius ſtupen-

ſtupenda ſunt opera, mirificè ſe conuertit. Gaudeat itaq; ob hoc ipſa Eccleſia, quæ probrosæ detrimenta ſterilitatis abijciens, ſalubris incrementa fertilitatis ſuſcepit: ac nuptiali fœdere nunc illi gratioſa coniungitur, à quo priuſquàm eſſet aſſumpta de gentibus inuenerat ſe deſertam: lætetur igitur, æmulæq; ſuæ de terreſtri etiam eiectæ Ieruſalem Synagogæ, videlicet dudum ſibi huiuſmodi ſterilitatis incommoda impingenti ſecùra reſpondeat: quia iam ſuæ prolis fœcunditate cæleſtis muri Ieruſalem cicatrix obducitur: & quæ antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt: ipſa ſuæ vniuerſitatis illuſtrabit præſentia: felici poſtmodum perfectione ſui, atq; integritate gaudente. Porrò ne huiuſmodi exuberante lætitiâ, in valle miſeriæ morientium terra requiem poſſet ſibi polliceri continuam, cuius vita eſt aduerſus inimicorum ingruentia bella exterorum caſtra militia ſuper terram: ac ne prædicta Eccleſia quæ mater eſt cunctorum fidelium, maternæ conditionis expers exiſteret: ſi ſolitas præſertim in partu quorundam filiorum ſuorum matrum parientium moleſtias non ſubiret, interdum inſtauratur, quodammodo ſibi aduerſitas opportuna. Sicut in paſsione piæ memoriæ Beati Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi, cuius meritis præfulget præfata Eccleſia patuit euidenter. Cum enim idem in ſortem Pontificalis miniſterij, dignè vocatus à Domino ſuper gre-

gis ſibi commiſsi prudenter cuſtodiam vigilaret, hoſtium ſagaciter exploraret inſidias, malignantium anticipauit conſilia : æmuliq́ue noſtri deprehendens laqueos, ipſius cautè retiacula diſſoluebat. Hic nempe pro ſuis ouibus cor ſuum tradiderat, ad vigilandum diluculo : vt ſi quem graui fortè deprehenderet tentatione concuſſum mox vbere conſolationis adhibito erigeret deſolatum : & quem in bono proficientem ad uerteret, gratulationis vbere protinus confortaret, vt non minus per hoc deficientibus, quàm proficientibus ſubditis ſe claris indicijs oſtenderet eſſe Mâtrem. Verùm cum non ſine internæ mentis anguſtia, Polonorum Regem, nomine Boleſlaum, in tantum horrendis voluptatibus ſubijci, carniſq́; nefandis illecebris cernetet eneruari, vt in paſsiones ignominiæ traditus, & in humanis contumelijs afficiens, corpus ſuum mulierum mamillis auulſis : exinde liberis catulos apponeret miſerabiliter educandos, ne execrandam fouere malitiam, & iniquitati eiuſdem videretur, præfatus Pontifex, per diſsimulationem fauere, poſtquam ipſum à præmiſsis flagitijs, ſedulâ & paternâ correctione euocare non potuit, in ipſum conſultè medicinalem Petri gladium exeruit, & in ſpiritu lenitatis ſperans, vt percuſſus dolens ad percutientem ſe, in humilitate rediret, Dominum exercituum ſuppliciter requirendo : ſed ipſe indurato corde, medicinam exhorrens,

& ine-

& increpationem abominans, immò malleum velut ſtipulam, reputans, non ſolum nulla pœnitentiâ ſe correxit, verùm etiam ad peiora, in ſuæ damnationis cumulum prouocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, iuſsit Pontificalibus indutum Antiſtitem, per ſuos ſatellites, diris corporis cruciatibus deputari. Sed ipſi quoties in eum irruere tentant, toties compuncti, toties manſueſcunt proſtrati: & tunc idem Rex ſuæ ſatisfaciens impetuoſus tyrannidi, manus in eum conuertit ſacrilegas: ſponſum à gremio ſponſæ, paſtorem, abſtulit de ouili, patrem inter filiæ amplexus, & filium in viſceribus, penè obtruncauit maternis: faciens irritatus atrocitate feralis impius, proh dolor, corpus inhumaniter in fraſta concidi, velut ſingulis membrorum partibus, pœnæ inflictio deberetur: ſed ille apud quem patientia pauperum non peribit infinem, non ſolum rutilantibus huiuſmodi ſacratiſsimi corporis partes ſplendoribus illuſtrauit, verum etiam ipſum, nullo in eo cicatricis apparente veſtigio, integritati reſtituens, Aquilarum ſuarum, præſidio miraculosè à ferarum morſibus, præſeruauit. Guſtato deniq; accerrimè ob zelum iuſtitiæ, calice paſsionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur conſumptus: ecce vt lucifer oritur, & quaſi meridianus fulgor in firmamento conſurgit, propter quod eius faciem, in ſuis nonnulli ne-

ceſsitatibus, deuotiſsimè deprecantur. Ipſe quidem defoſſus ſecurus dormit requieſcit, & non eſt qui iam ipſum exterreat, nec mirum quia ciuitatem illam honoris & gloriæ corona inſignitus inhabitat, vbi eſt manſio ſecura, populus ſine murmure, ac patria totum id continens, quòd delectat. Verùm ne militaris Eccleſia, de tali ac tanto patrono ſic atrociter ſibi ſubtracto, inconſolabiliter, quaſi gemitus ſingultuoſos emitteret, ſi beneficiorum ipſius affluentia eam non contingeret, ſæpius delectabiliter irrigari. Eccè glorioſus in Sanctis ſuis Dominus volens eiuſdem Patris, plenitudinem gloriæ indicijs exprimere, manifeſtis, & præſtolanti Eccleſiæ grata conferre ſuper hoc recreationis remedia, tot & tantis fecit ipſum famoſis miraculis coruſcare: de quibus facta nobis, & fratribus noſtris prout debuit, per teſtes idoneos plena fides exſtitit, qui eius inter ſanctos cæteros, implorare ſubſidium, reputauimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen cæcis, auditus ſurdis, lingua mutis, claudis greſſus, epilepticis cerebri robur, & dæmoniacis, immundis ab eius eiectis ſpiritibus corporum requies, ad eius inuocationem nominis, cæleſti dextera ſubito conferuntur. Propter quod ne huiuſmodi lucernam rutilantem, ſub modio periculosè abſcondi contingeret, quàm idem Dominus tot mirificis ſignis rectè diſpoſuit, ſuper Eccleſiæ candelabrum, honorificè

ficè collocari : præſertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur peruerſum hæreticorum dogma : & fidelium Beata credulitas augeatur, eorundem fratrum, nec non & Prælatorum tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium communicato conſilio prædictum Diuum Staniſlaum Epiſcopum, dignum Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum. Cum itaq; etſi alibi in veſtris præcipuè partibus præfatus Beatus Staniſlaus, medicus ſit efficax, ægrotis quàm pluribus : prout eorum cauſa languoris egerat pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficiens ſanitatis velut ipſius à varijs curati morbis, meritis proteſtantur publicè & rei euidentiâ manifeſtat. Nobilitatem & vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur, attentè, quatenùs iuxta verbum ſapientis, vos ad honorem medici, ſedulis exhortationibus inuitantis : ſic ipſius Sancti feſtum honorificentiâ debitâ, ſtudioſiùs venerari curetis, qui & in proſperitatis ſtatu conſeruari poſsitis incolumes, & ab imminentibus peſtibus, ſi quod abſit ſecundum hominem vtrumq; ingruerit, eius patrocinio liberari. Datum Aſiſij, quintodecimo Calendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno vndecimo.

C A-

CAPVT IX.

Confluunt Poloni Cracouiam ad ossium eleuationem S. Stanislai.

CRacouiensis Ecclesiæ nuntijs, videlicet Magistro Iacobo de Skarzeschow Decano, & Gerardo Canonico Cracouiensi cum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, ex curia Romana redeuntibus, & Literas canonizationis secum ferentibus, Cracouiensem vrbem ingressuris, omnis plebs effusa est. Prandota quoq; Cracouiensis Episcopus, & vniuersus Clerus, processione omnium, vrbis Cracouiensis Ecclesiarum, honorificè illos excepit: digni prorsus quibus honos ille velut athletis, & triumphatoribus, ac longo peregrinationis labore fessis, publicum insuper commodum referentibus, impenderetur, feliciſsimi certè, quibus labor ille, & præmiorum fructus, in eorum dies & tempora seruatus obtigit, sempiternâ insupet memoriâ apud Polonos digniſsimi, qui tot difficultates euicerant, tot impedimenta soluerant, tot labores, passionesq; conculcârant. Ad leuandum autem ossa Beatiſsimi Staniſlai de tumulo, ad præconiſandum in Polonica Ecclesia, eius canonizationem octauum diem Maij, quo Festum eiusdem à Pontifice Romano celebrari sancitum est, Prandota Episcopus indixit: & per vniuersam Polonorum Regionem, vicinasq; Prouincias,

cias, prædicari, & vulgari ordinauit. Quo quidem die adueniente, ex omnibus Polonorum oris, ſed & ex Vngariæ Regno, tanta multitudo plebis, in Cracouienſem vrbem conuenit, vt homines aduenas vrbs tanta non caperet, ſed in campis, pratiſq; gregatim turbæ ſtarent. Confluxerant inſuper ad huiuſmodi ſolennitatem eleuationis oſsium Sanctorum explendam, plures ex Polonicis Sedibus Antiſtites, videlicet, Fulko Gneznenſis Archiepiſcopus, Opiſo Abbas de Meſano, Apoſtolicus nuntius, Prandota Cracouienſis, Thomas Vratiſlauienſis, Volmirus Vladiſlauienſis, Boguſlaus Poznanienſis, Andreas Plocenſis, Geruardus Ruthenorum, Vitus Lituanorum, Epiſcopi. Item Abbates, Præpoſiti, Decani, cæteriq́ue Prælati, & Canonici, ac Eccleſiarum Parochialium Rectores, & vniuerſi Religioſi, ex Cracouienſi Ciuitate & Diæceſi, & aliarum Poloniæ Eccleſiarum. Culmeñ. verò Lubucenſem, & Kamienenſem Epiſcopos, occupatio retraxerat. Conuenerantq́; Principes Polonorum, videlicet Boleſlaus Pudicus, Cracouienſis, & Sendomirienſis, Dux Polonorum & Monarcha: Præmiſlaus Maioris Poloniæ, & Poznanienſis. Caſimirus Cuiauienſis, & Lancicienſis, Semouitus, Mazouiæ, & Vladiſlaus Oppolienſis Duces. Sub quorum præſentia, & populi multitudine infinita. Oſſa viri Sancti Staniſlai, ex tumulo propè portam meridio-

nalem in Eccleſia Cracouienſi conſiſtente, à Pontificibus qui conuenerant vino lota, & leuata ſunt, & populo plaudente, atq; vociferante: Patrociniumque Sanctorum implorante oſtenſa, ac deinde in Eccleſias Cathedrales, conuentuales, & collegiatas, aliaſq; principaliores, portio illorum, capite, brachijs, pectore, & alijs inſignioribus apud Cracouienſem Eccleſiam cum cineribus Sacri corporis, remanentibus diſtributa. Eccleſiæ enim Gneznenſi, quo & in hanc diem gloriatur Sancti Pontificis ceſsit annulus, titulum illius & vultum, præferens rarum & venerabile inſigne. Ex eo autem & deinceps tempore in omni Polonica Eccleſia, & in ſingulis eius Diæceſibus, in pluriſque vrbibus, oppidis, caſtris, villis, atq; vicis, plures numero, Parochiales, Conuentuales & Collegiatæ Eccleſiæ altaria præbendæ in honorem titulum atq; decus Beatiſsimi Staniſlai fundatæ, dotatæ, & erectæ ſunt: & vſq; in præſens fundantur & eriguntur. In ætate quoq; quæ noſtram paululum præceſsit. Dum Lithuaniæ & Samogitiæ gentes opera Vladiſlai, ſcilicet Polonorum Regis, ad iura Chriſtianitatis, ab idololatriæ cultibus, conuerſæ fierent. Cathedralis Eccleſia Vilnæ in Lithuania Beatiſsimo Staniſlao dicata eſt: atq; in vniuerſo Poloniæ Regno, & Prouincijs illi ſubiectis, maximum, & celeberrimum eſt Staniſlai nomen maximuſq; illi honos, & cultus, ab vniuerſis defertur.

CA-

CAPVT X.

Equus excoriatus viuus cuidam Nobili ex Pannonia restituitur.

POpulis diuersarum Regionum, linguarum atq; nationum, vtriusque sexùs, ad celebritates natalicij Beati Stanislai, quoniam longè lateq; posteaquam canonizatus est sanctitatis suæ vulgata fuerat sublimitas, celebrisq; apud vniuersos habebatur Cracouiam pergentibus, frequenti concursu, nomen & tumulum honoraturis: Contigit inter alios, Stephanum de Vngaria virum Vrbanum, cum coniuge, & tenellis pueris, omniq; Domûs suæ familiâ: qui singulari fide, deuotione, ac religione in Sanctum Dei Stanislaum ferebatur, ad limina eiusdem Beati Martyris proficisci. Quadrigâ & equo vno, imbellem puerorum ætatem, sarcinas quoq; & victum, alia cæteraque subuehente, quam Stephanus ipse pedestri itinere cum coniuge pedes ipse & liber præcedebat. Quo in Alpibus, qui Poloniam à Pannonijs disterminant constituto, & iam fines Polonicos contingente, equus quadrigam vehens, in terram prolapsus, subitâ morte est extinctus, quem auriga eius decoriatum, pelle humeris superimpositâ, velociùs quo poterat herum suum sequebatur, quem consecutus fatigatus enim ex itinere quadrigam opperiendo Stephanus cum coniuge iuxta viam residebat.

bat. Dum̃ equum extinctum, & quadrigam̃ à se apud Alpes relictam nuntiasset, grauis turbatio atq; mæror hominem incesit: non tam quod damnum perceperit, quàm quia pignora sua, & sarcinas, cum victualibus, in quem conferret locum non inueniebat, ferre verò humeris durum atq; oneroſum iudicabat: atq; in hunc modum fluctuantem, vario æstu mentis, & plusquam ex medio itinere in Penates proprios reuerti disponentem, sagax & prouida fæmina vxor illius salubri vsa consilio consolans, ab inceptis cessare cògégit, dicens: Non erit inquit hoc tibi & mihi Domine mi vt contribulibus nostris ad solennitatem Beatissimi Stanislai, lætis animis currentibus, nos propter vnius equi mortem, abeamus retrorsum, & nos ipsos bono præsenti, atq; futuro priuemus, pudorem à contribulibus habituri. Si enim alius modus deerit, saltem sarcinis, & victualibus relictis, pueros feremus in humeris Beatissimo Stanislao, si nos fatigari & subsistère contigerit, illos commendaturi. Ad bonam mentem sermonibus coniugis suæ, vir fidelis reductus, dum itinere resumpto cum pueris vna, simul & auriga pellem equinam in palo gestante pergerent, & de equi sui subita extinctione sermonem in longum extraxissent, equum soliuagum, hinnientem, & per dumeta discurrentem ex abrupto conspiciunt, quem & per colorem, & corporis dispositionem, atque hinnitum

mulier

mulier illico agnoſcens, virum ſuum alloquens, compertum inquit pro veritate habeo, quod is equus aut noſter eſt, aut talis qui noſtrum omnibus exprimit lineamentis: Quam Stephanus irridens ait, quàm ſtulta inquit, æſtimatione deciperis, & quædam Phantaſtica ſomnia meditaris, vt equum noſtrum credas viuum currere: cuius nos ex mortuo cadauere, detractam pellem certum eſt geſtare: atque ad aurigam pellem indice demonſtraturus aſpexit: quàm cum non reperiſſet, quònam pellis euaſiſſet, aurigam indagare cæpit. Tum & auriga ad baculum, quo pellem geſtabat verſus, ſatis ſecum quis pellem tuliſſet, aut quo decidiſſet ex baculo mirabatur: requiſitus deinde à Stephano, an equum qui ad ſe venerat agnoſceret: quid reſponderet hæſitabat, ſciens ſe equum tam moribundum quam mortuum, prope Alpes reliquiſſe, & pellem detractam ex cadauere attuliſſe. Quo tamen pellis euanuerit, aut quomodo de manibus ſuis delapſa ſit nulla ratione poterat ſuſpicari. Admirationis itaq; & dubitationis cauſa, ſatis diu inter ſe certatim ventilata ad equum, qui & ipſe dominos ſuos, à quibus alitus fuerat viſus recognoſcere ſe illis familiarius iungebat, propius accedunt, & recentibus ſtigmatibus, atq; inciſuris, ſanguine etiam interlitis, quas aurigæ culter pellem cadaueri detrahens confecerat conſpectis, cum ingenti admiratione ſuum eſſe recognoſcen-

tes exclamant. In rei veritate hic equus noſter eſt, certè Beatiſsimi Staniſlai meritum maximum eſt: qui etiam ea quæ ne optare quidem auſi eſſemus contulit, non rogatus exhibens ſe ſuis deuotis famulis in quibuslibet eorum neceſsitatibus mirificum adiutorem, qui equo noſtro & vitam reddidit, & pellem, qui etiam in iumentorum reſuſcitatione potens, & miraculis clemens ac propitius voluit agnoſci. Comprehenſo itaq; equo, & infrenato, ad locum in quo erat quadriga relicta reuertuntur. Cadauere quoq; equi nuſquàm, reperto, quod illic ſe auriga ſciebat pelle vacuum dimiſiſſe, quadrigam iunctam equo conuehunt, & tam pignoribus, quàm omni ſuâ ſuppellectili in quadrigam reimpoſitis Cracouiam læti & alacres adueniunt: votiſq; ad ſepulchrum Beatiſsimi Staniſlai cum magna deuotione perſolutis, equum à Beato Staniſlao mirabiliter viuificatum, recentibus notarum ſtigmatibus vniuerſis oſtendunt. Et quanta illis Beatiſsimus Staniſlaus præſtiterit magnalia coram cunctis edicunt. In memoriam quoq; tam inſoliti prodigij equi ex cera facti effigie, ad ſepulchrum Beatiſsimi Staniſlai relicta in penates ſuos orantes reuerſi, vniuerſis Pannonijs, quàm potenter, quàm clementer, & propitiè, Beatiſsimus Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus, ſuis ſupplicibus ferat ſolatia, narrarunt ſermonem ſuum, equo viuificato, & cicatricibns inſignito recentibus, confirmantes, vulgarunt.

CAPVT XI.

Puella biennis curru onerato conculcata vitæ reſtituitur.

ANno Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo, in Oppido Biecz Cracouienſis Diæceſis, Ioannis Piſtoris filiolam biennem currus oneratus calcauit, cui cum læſio ad mortem ſufficeret, immò non tantùm illi, ſed etiam homini cuius oſſa & artus plena conſolidatione gauderent: infantulus iam animam agens, ad limina ſancti deuouetur, Staniſlai in rupellam Caſimiriæ, & ſanitati inſperate reſtituitur, quæ ſeptennis, cum viua oblatione ad tumbam Sancti Staniſlai per Parentes præſentata, ſingulis videntibus, & audientibus, admirationem & venerationem Sancti Dei Staniſlai ingenerat.

CAPVT XII.

Redditur vitæ & cognatis iam mortuus.

ANno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto: Thomek de Maiore Polonia de Villa Crinow vir ruricola, infirmitate corporis preſſus, animam, cogente languore, exhalabat, cui quinquies recidenti, & agonem agenti, lumen accenſum ad manus dabatur. Morbo tamen naturam ſuperante exanimis proſternitur, & mortuus, vt erat à circumſtantibus cognatis, & amicis deploratur. Cum autem ſepeliendum

dum eum ſeſe amici diſponerent frater Germanus precibus prohibebat, ſepulturam dicens: rogate quæſo mecum miſericordem Dominum, & Beatum Martyrem Staniſlaum, vt hi nepotes mei, filij fratris defuncti, manu illos oſtendens, modò non reliquantur Orphani, ego enim meos vix nutrire ſufficio, quomodo horum Orphanorũ educationi intendam. Et cum eiulatu ſuo cunctos adſtantes, ad lachrymas prouocaret. Omnibus itaq; orantibus, & in orationibus per vnius horæ ſpatium, perſeuerantibus, qui mortuus fuerat reuixit & reſumpto ſpiritu dixit: ſe quendam virum venerabilem, ſacerdotij dignitate præditum, versùs Pruſsiam conduxiſſe, & pro ſolario ductus literam quandam, & duos groſſos recepiſſe. Qui fuit & vero ſimiliter ſibi videbatur Beatus Pontifex Staniſlaus, quem ipſe ab inferis, ad hoc ſæculum ob pænitentiam agendam reduxit. Aguntur itaq; in communi ab vniuerſis laudes Deo altiſsimo, & Beatiſsimi Staniſlai, mirifica, in auribus omnium, facta & glorioſa perferebantur, viuificationis autem ſuæ Thomas præconium Cracouiam vſq; præſentialiter deferens, & ſui liberatoris ſepulchrum ad maiorem Eccleſiam adijt, & vota illi ſupplex perſoluit.

C A-

CAPVT XIII.

In partu mortua mulier donatur vitâ.

VXor Nobilis Pelcze de Gorka, ex Palatinatu Siradienſi, Diæceſis Gneznenſis, in partu laborans, partu edito moritur ſuffocata: & dum veſte linea, ad ſepulchrum induta fuiſſet, vir adſtantes cum ingenti ploratu obteſtatur eiulans, atq; dicens: heu me miſerum, quis ſouebit hos pueros pupillos, quis hunc educabit modo natum infantulum? flete quæſo mecum, & flentes petite Deum, & glorioſum Martyrem Staniſlaum, vt miſertus non mei, ſed horum pupillorum, & huius vix nati infantuli, conſorti meæ, ſpatium obtineat viuendi: qui cum flexis genibus, & in terram procumbentes, atq; flentes orarent, ecce mulier quamuis iam omnino mortua, & extincta in quâ penitus nullum vitæ veſtigium, patebat, quaſi de ſomno excitata ſuſpirat, & viri diligentiam collaudans, ſe meritis Beati Staniſlai ſanatam, & vitæ redditam, exclamat, & vſq; ad eius limina ſimul cum infantula, gratias actura, perueniens, ſtupendum ſuæ reſuſcitationis, à Beatiſsimo Staniſlao, in ſe collatum beneficium, & ad maiorem Cracouienſem Eccleſiam, & ad Rupellam, cunctis in communi vulgauit.

CAPVT XIV.

Puer abortiuus mortuus reſuſcitatur.

ANno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, vxor Matthiæ Sartoris Zakwapen dicti, de Lancitia prægnans, grauibus inſuper febribus, grauiter æſtuans, adeò his fatigata eſt, quòd longè ante aptum tempus pariendi, tribus videlicet, & amplius menſibus, infantulum vix ſpirantem abortit: quod pater anxius intelligens, cum lacrymis genibus flexis Dominum orat, & Sanctum Staniſlaum deprecatur, vt infantulum genitum, immò verius abortum, non ſinat mori, antequàm fonte regeneretur baptiſmatis: in quo ſi preces ſuas videret exaudiri, ſpondet propria in perſona, beati limina viſitare Staniſlai. Vix orationem compleuerat, & infantulus qui nedum immaturus ſcilicet vt dictum eſt, forte eodem die, viuificatus, integram adipiſcitur ſanitatem, & non ſecus, quam ſi perfectum tempus naſcendi compleuiſſet: nimis licet paruæ & inſolitæ, qualitatis & ſtaturæ, ad baptizandum defertur, & baptizatus vſq; ad alteram diem vixit: & demum ſpiritum exhalans, in vitam renatus eſt ſempiternam.

CA-

CAPVT XV.

Puer ſemiuiuus ope S. Stanislai ſubito conualeſcit.

ANno ſequenti Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto, eidem Matthiæ alius puer infirmatur. Cuius in tantum infirmitas inualuit, vt animam à corpore videretur exhalaſſe. Quod cernens amaritudinibus Pater repletus, genibus poſitis, lacrymis fuſis, Dominum exorat, & Sancti Staniſlai implorat patrocinia, vt vita reſtituatur defuncto: deuouens ſe, Sancti Staniſlai limina viſitaturum, quo orante infantulus quaſi de ſomno excitatur, & paruo facto interuallo, ſanus à parentibus excipitur: votaq; & præconia in Sanctum Dei Staniſlaum, perſoluuntur.

CAPVT XVI.

Puella agonizans nuncupato ad D. Stanislaum voto à parente ſana reſurgit.

CVIuſdam mulieris Cracouienſis filiola ſexennis infirmabatur ad mortem, itaq; qui adſtabant mortis imminere periculum ſuſpicati, ter candelam extinctam, reincendunt tot vicibus putantes ipſam moribundam, Mater verò plorans & lugens ipſam promittit, ſiſtere coram Deo in Eccleſiam Sancti Staniſlai, in Rupella: ad cuius voti emiſsionem non ſolùm moribunda reuiuiſcit, ſed & in plenam atque perfe-

ctam ſanitatem conſurgens, Matri quidem mærorem abſtulit, adſtantibus verò ſtuporem vehementem ingeſsit.

CAPVT XVII.

Maritus cuiuſdam mulieris ſpe S. Stanislai reſtituitur ſanitati.

CViuſdam mulieris maritus, dum infirmitate inualeſcente moriebatur, mulier anxia & viduitatis pertimeſcens paupertatem, de mariti ſanitate ſolicita ipſum viſitare limina Beatiſsimi Staniſlai Martyris, cum viua oblatione deuouet, miſſam de Beato Staiſlao celebrari, ordinare promittens, mox voto emiſſo, nec ad complendum, incepto vir reuiuiſcit, & priſtinæ poſt modici temporis interuallum reſtituitur ſanitati.

CAPVT XVIII.

Puella aquis in labro ſuffocata ad Rupellam S. Stanislai oblata reuiuiſcit.

ANno Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo, in vigilia S. Petri ad vincula, in Ciuitate Cracouienſi, Agnes vxor Strzynski ſutoris, filiolam in labro more ſolito abluebat, qua lota & de lauacro depoſitâ reclinans eam in ſtramentis, ipſa etiam paululum ad quieſcendum, cùm hora meridiei eſſe cæpit inclinauit, & cum ſopore ſenſus ligante fortiter obdormiuiſſet, filiola vtcunq; de ſtramentis reptans margi-

margines tinæ, in quâ lauabatur apprehendit, & tandem in eam capite deorſum, & pedibus ſurſum elatis incidit, & in quibus aquis lauabatur eſt ſubmerſa. Euigilans autem Mater, & puellam in ſtramentis iuxta ſe non reperiens, putans quòd eam ancilla puerigerula exceptam baiularet, iterum obdormiuit, & priori ſomno longiorem ſuſcipit. Cumq; à ſomno ſurgens, & hinc inde deambulans nihil ſiniſtri de puella ſuſpicata, aquas de tina effundere iuſsiſſet, puellam aquis immerſam & iam ad modum panni nigri, propter ſanguinis coagulationem denigratam, & omnino mortuam videns præ dolore anxia ferè labens moritur, vix vocem attollere, ſed nec verba exprimere valuit. Ad quam cum mulieres vicinæ concurriſſent, & infantulam iam mortuam pene palpitarent, illa pauliſper ad ſe reuerſa, cum ingenti fletu, & eiulatu Sanctum Staniſlaum pro ſui conſolatione inuocat, & ne patiatur eam, tam grauiter delinquere, & ex parte viri ſui pænas, quas metuebat incurrere deprecabatur: & vt puellam reſuſcitari, & ſpiritum eius, ipſius viſceribus reinfundi obtineat ſupplicat: pollicens ſe cum puella, eius limina viſitaturam. Ad quam vocationem, & ſupplicem Sancti Staniſlai inuocationem, puella mortua, ab vniuerſis habita, & cuius iam corpuſculum obriguerat, colorem priſtinum recipere, mortiferum vero deponere, & tandem quaſi modicillum, ſub pe-

ctoris loco respirare videbatur. Surgens igitur anxia mater, cum alijs mulieribus, puella arrepta, ad Ecclesiam Sancti Stanislai in Rupellam velut si quis à facie bestiæ fugiat accurrit: & puellâ, in ara Beatæ Virginis positâ, cæpit pristinas orationes repetere. Tandem puella amplius notabilius respirare, & cum; Te Deum laudamus solenniter ibidem cantaretur, puella oculos aperuit, & quasi de somno euigilans caput volutare cæpit. Vix canticum, illud cum Antiphona. Salue Regina finitur, & puella si vnquam ita visa fuit reperitur, & incolumis domum reportatur. Quod etsi cuipiam non videatur miraculum, quòd puella prædicta, breuiter in aquis existens reuixerit, vt pote nondum plenè extincta fuit: sed in hoc non mirari nemo potest, quòd tam citam & perfectam sanitatem meritis Sancti Stanislai fuerit assecuta: Cumque in senibus, & robustis hominibus hoc videamus: si aliqua corripiantur corporis molestiâ, vt puta si iugulantur, vel si aquis violenter immerguntur: quàmuis sint non multum morti vicini, tamen propter corporis violentam perturbationem, fiunt aliquandiu infirmi; hæc autem infans, quàmuis tenella corpore, & debilis viribus, post illam tamen suffocationem sanitatem plenam meritis Sancti Stanislai reportauit.

CA-

CAPVT XIX.

Puer moriti vicinus ad tactum reliquiarum Sancti Stanislai prodigiosè sanatur.

QVia Deus omnipotens, omnia à sæculo mirabilia per se, & sanctos suos idcirco facit, vt misericordia & potentia sua hominibus innotescat, vt per hoc ab omnibus laùdetur. Vnde præcipit, vt mirabilia quæ ipse operatur, hominibus, prædicentur, dicit enim per Prophetam Psalmo centesimo sexto. Confiteantur Domino, misericordiam eius filij hominum: qui versus in eodem Psalmo quater repetitur. Post quodlibet beneficium enim miraculosè filijs Israel præstitum, quæ ibi enumerantur, versus ille ingeminatur & ad quartam repetitionem dicit: exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra senioris laudent eum, Deus enim non aliud nisi laudem à nobis postulat, vnde dicitur in Psalmo Si esuriero, non dicam tibi, meus enim est orbis & plenitudo eius, Et infra, Immola Deo sacrificium laudis & redde altissimo vota tua: vnde vt laudem suam in nobis augeret, Sanctis suis, quorum corpora & reliquiæ nobiscum sunt, multa præclara miracula facere concesit: certum enim in Ecclesia Sancti Stanislai, de Rupella feriâ tertia proximè ante festum Beatæ Margaritæ, Anno Domini millesimo, quadringentesimo, quadragesiimo, accidit miraculum,

lum, relatione & laude digniſsimum: propter quod Deus in Sancto ſuo Martyre Staniſlao digne glorificandus eſt: quoniam bonus quoniam inſeculum miſericordia eius. Accidit in oppido Zywiec Cracouienſis Diœceſis, vt cuiuſdam Petri in Niemieckie Wieprze dicti, filius circiter tredecim Annorum, in mirabilem, inauditam, & admodum grauem incideret infirmitatem, talem videlicet: qui vſum videndi, loquendi pariter, & ambulandi amiſit. Tali itaq; ægritudine conſtrictus, cum nec aliquod membrum corporis ſui mouere poſſet, immò nec mandibulas, aut linguam, vt ſaltem ad ſuſtentationem miſeræ vitæ ſuæ eſcam ſibi porrectam maſticaret: vnde plus mortuus, quàm viuus intuentibus ſe, apparebat ſpiritus vitalis duntaxat palpitare in pectore deprehendebatur, & cum languor protenſior graſſaretur indies, parentes eum non aliter fouere poterant, niſi quam tenuiſsimo quoq; ſorbicillo ipſius labia perfundebant, quod tamen vix poterat deglutire. Sic igitur non dicam ſemimortuus, ſed modicillum quidem viuus, à Feſto Sancti Martini vſq; indiem patrati miraculi iacebat immobilis. Propter infirmitatis igitur prolixitatem, & membrorum teneritudinem, pedes ac manus ac omnia membra corporis, omnino arida, contracta ac in vtilia ad officia ſua per omnia retinebantur. Parentes igitur eius, hac acerba plagâ afflicti, quid agerent, quo medellæ, quo edulij

genere

genere languentem reficerent, quid cum illo amplius agerent ignorabant : qui nec extenuatus poterat iudicio humano viuere, nec propter ſpiritus tenuiſsimi argumentum, in pectore palpitantis tumulari : quapropter mortem cui viciniſsimus erat, potiùs quam vitam eius appetebant. Et cum in longum proceſsiſſent dies, ille qui ſuo ægrotum reſeruabat ſanandum præſidio, illis inſpirauit, vt eum ad limina Sancti Staniſlai vouerent, deferendum : quod quamprimum fecerunt, illicò gratuita Dei pietas, & quod optabant, dextrum fecit, & optatis adiecit potiora : puer etenim ad voti emiſsionem per parentes facti, oculos à principio infirmitatis clauſos, & interim nunquam apertos habuit aperuit, quo ipſi viſo miraculo, de vlteriore miſericordia Domini, & patrocinio Sancti Staniſlai confidentes, ægrotum currui imponendo Cracouiam ſunt profecti. Venientes itaq; ad Eccleſiam Sancti Staniſlai, in Rupella, illa quæ geſta erant cum puero, Presbyteris Eccleſiæ pronuntiant, poſtulantes ſibi reliquias Sancti Staniſlai exhiberi. Cæperant deinde lacrymoſis vocibus, pro ſua conſolatione, & infirmi curatione, vlteriore Dominum & Sanctum Staniſlaum deprecari. Poſtquàm igitur infirmo puero, vt priùs iacenti fere, exanimi duntaxat officio, oculorum vtenti reliquiæ, prædictæ ori iunctæ fuiſſent, protinus vinculum linguæ eius, ſolutum eſt : & vſum loquendi priſtinum re-

cepit. Parens igitur incredibili gaudio repletus Presbyteros vt missas, de S. Stanislao dicerent, obsecrat. Et cum adhuc Missarum officia agerentur, puer in omnibus membris sanus apparuit, & membra illa arida, & contracta, in pristinam redière sanitatem. Itaq; finitis Missis & gratiarum actionibus, cum gaudio in æstimabili Deo, & Sancto Stanislao exhibitis, puer sanus, quasi in momento effectus, cum parentibus ad propria redierunt: cuius sanatio non minus videbatur mirabilis illis, qui eum parùm ante viderant, quam mortui susciatio: quia non nisi vno gradu à morte iam distabat. Pro isto igitur Magnifico Dei beneficio, & gloria Sancti Stanislai, quâ eum Dominus, in oculis nostris, sic coronare dignatus est, vt ad inuocationem sui nominis, tactumque reliquiarum suarum, tam vicinus morti, mirabiliter & subitò curaretur. Deum glorificemus, vt etiam perennis suæ gloriæ, meritis eiusdem, participes nos efficiat Christus, in sæcula benedictus, Amen.

CAPVT XX.

Duo Canonici Cracouienses inuocato Sancto Stanislao naufragium euadunt.

ANno Domini Millesimo quadringentisimo quadragesimo, accidit non minus mirandum, quàm laudandum miraculum, Dei beneficio, & beatissimi Martyris

tyris Staniſlai magno patrocinio. Eugenio Papa IV. concilium Ferrariæ agente, Ioannes Pniowski, & Clemens Nawoiowski, Canonici Cracouienſes, dum ex Ferraria peſtem quæ omnem Italiam occupauerat, ingreſsi apud Frangolinum in Pado alias Eridando, naues in Oppidum Kluſcha, ditionis venetorum perueniunt: illicq; ſubſiſtere coacti. October enim, cuius ſub tempore nauigabant, plures ventos exciuerat, longa deinde manſione apud Kluſcham fatigati: Patronum nauis, quod illis, peritior tam nandi, quàm nauigandi, denuntiabat periculum: nauigationem abnuentemt, ad iudicem loci pertractum, nauigare compellun. Cumque verſus Venetias nauigaturi, altiora pelagi ingreſsi fuiſſent, mare ſubito quemadmodum Patronus denuntiauerat, cæpit intumeſcere, naues quoq; plures numero quæ transfretabant Mare Venetorum, in conſpectu eorum, à vi tempeſtatis confractæ abſorbebantur. Orta ſiquidem immaniſsima tempeſtate, omnes mortis periculis inuoluuntur, & quia Mare furens, indeuotum deuotiſare compellit, varij variorum Sanctorum ſuffragia, altiſonis vocibus implorabant. Cum ergo conſpectus diræ mortis ante omnium oculos obſeruaretur: præfati Ioannes Pniowski, & Clemens Nawoiowski, Canonici Cracouieuſes, cæteriq; qui cum illis transfretabant Poloni, Beatum cæperunt acclamare Staniſlaum. Ad ipſum igitur vota &

voces in altum attollunt, & ne ſuffocentur ab vndis, maioribus fletibus, quàm vocibus interpellant. Mira res relatu, credituue digniſsima illam nauim, in quâ nomen B. Staniſlai reſonat fluctus Maris mergere nequeunt, cæteris ratibus, cum in eis contentis omnibus prorſus ſuffocatis. Sedantur deinde ad ſupplicem Sancti Staniſlai inuocationem fluctus in placidam auram Mare turbatum redijt: pelagus à ſuo furore conquieſcit gratiæ Deo, & Sancto eius Staniſlao ab vniuerſis in communi referuntur. Eia Poloni magnum vobis beneficium Diuinitùs è cælo erogatum eſt, vt vos Sanctus Staniſlaus trans Maria, tranſque freta ſemper ſubſequitur, & more gallinæ pulligeræ, ab omnibus periculis, alis ſuorum beneficiorum vos protegit, vtcunq; etiam indeuote inuocatus.

CAPVT XXI.

Mulier in ſcelere deprehenſa, aquis ſuffocanda Beati Stanislai præſidio enatat.

ANno Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto, die duodecimo menſis Maij, quædam muliercula, in flagranti crimine deprehenſa, in Ciuitate Cracouienſi iudici præſentatur accuſatur, conuincitur, & iure municipali, vltimo plectenda ſupplicio, adiudicatur aquis ſuffocanda: manibus à tergo ligatis, de regali ponte, per apparitorem præcipitanda, in

da, in flumen Viſtulam ſtatuitur, quæ visâ Beatiſsimi Martyris Staniſlai in Rupella Eccleſiâ, tacitis immurmurat labris, ſincera ſe Martyri deuotione commendat, Patroni flagitat ſibi adeſſe præſidium. Poſtquam igitur, ſaxo collo illius appenſo in flumen præcipitatur de ponte, affuit illi pijſsimi Patris præſidium: nempe neq; manuum ſuffulta officio, neq; ſaxi obſtante pondere, more ligni natatilis, ſuperficie gaudet fluentis: Vnda igitur pulſa littori applicuit, imò veriùs Beatiſsimi Pontificis auxilio ſupportata, hanc ſpiculator, ne ſuæ imperitiæ imputaretur, per littus hinc inde diſcurrens, fuſte aquis aliquoties demergere ſatagebat. Cum itaq; fere per quatuor ſtadia ipſam ne enatet proſequitur, non humanam agilitatem ſecum ſed Diuinam agi intelligens pietatem: tum etiam quia dudum officij ſui ſufficientem fecerat diligentiam: tum etiam quia ab hominibus huic ſpectaculo ſatis grandi adſtantibus arcetur, & corripitur, ne vltra condignum vnum peccatum pluries puniatur in id ipſum: ſed Diuino potius & Beatiſsimi Martyris eius Staniſlai applaudat miraculo; ab ipſo Beato Martyre, ſi conatu improbo collatum mulieri beneficium impedire perſeuerauerit feriendus: eam libere ripam ſinit petere, quæ mox vt relicta eſt perferri ſine omni difficultate ripam petit, & adhuc manibus, vt prius à tergo ligatis, & ſaxo collo appenſo, ad Eccleſiam Beatiſsimi Mar-

tyris Staniſlai proficiſcitur, in Rupellam, ab omni populo, qui ad ſpectaculum huiuſmodi confluxerat, & geſtum rei ordinem, ſimul & ſui voti tenorem Presbyteris eiuſdem Eccleſiæ, coram multo adſtante, & illa criminante populo aperit, & ſaxum prædictum in memoriam ſuæ liberationis perpetuam, ad ſepulchrum eiuſdem Beatiſsimi Martyris appendit.

CAPVT XXII.

Puella rotis protrita & iugulata penitus, auxilio Beati Stanislai reſuſcitatur à morte.

SAnè ſi iuſte pro ſuis exceſsibus caſtigatis, benigniſsimus Pater Staniſlaus affert præſidia: quantò magis his, quos aut caſuum importunitas, aut infirmitatum premit neceſsitas, vnde eodem anno, Menſe Auguſto non minus fama dignum in Viſlicenſi Oppido accidit miraculum. Quidam etenim eiuſdem Oppidi incola dum horreis inferret annonas, ſui laboris annua præmia, currui ſegetibus onuſto filiolam ferè ſeptennem impoſuit: ſolus autem iumentis regendis operam dabat. Curru verò improuiſo agitato, puella de plauſtro prolabitur & rotis attrira iuguloq; ſuffocato iacuit, quam lacrimoſa mater in calle mortuam reperiens, ſicut leæna catulis amiſsis, in voces flebiles, & lacrymoſas prorupit, ad cuius clamorem cum maritus conſternatus accurrit, & filiam extinctam, iugu-

tamq;

latamq; reperit, ambo inæſtimabilibus fletibus quatiuntur, attollunt voces in altum, concurrunt vicinorum agrorum, ſegetum meſſores: & quid agitur clarè intuentur, palpitant & attractant tenellum corpuſculum, & nuſquam ſpiritûs argumentis deprehenſis, caſus ſui infauſti, & mæroris aſsiduo comploratu, deplangunt diſcrimen. Tandem anguſtijs agitati frequentibus, illabitur mentibus ipſorum pijſsimi Patris Staniſlai, cunctis oppreſsis, promptum præſidium, & animis ipſorum vocibuſq; concordibus cernuè Beatiſſimi Martyris depoſcunt patrocinium, & corpus defunctæ, quàmuis exanime, geſtandum ad limina ſua pollicentur. Et quia gratiùs accipitur, quòd multiplicatis precibus obtinetur, poſt non mediocris temporis ſpatium, puella inſperate reddita eſt ſanitati. Quo viſo parentes, priſtinas ſuperant gaudijs lacrymas, omnes & nullo intercepto temporis interuallo ſimul cum ſanata immò potiùs reſuſcitata filiola, Cracouiam petunt, & ad maiorem Eccleſiam, accedentes, gratias, Beatiſsimo Martyri Staniſlao peragunt, rei geſtæ ordinem pangant, & in euidentem memoriam facti camiſiam in quâ iugulata fuit puellula, ad ſepulchrum eius appendunt.

CAPVT XXIII.

Infans bulliente aqua perfusus, mortiq; vicinus voto facto ad S. Stanislaum recuperat sanitatem.

CViusdam mulieris infantulus lauacro bulliente, casualiter in corpore nudo perfusus continuò expiraturus credebatur: quem cum certis votis mater eius sancto deuouisset Stanislao totaliter, scilicet quòd per integrum anni spatium, feriam sextam, quâ scilicet limina Sancti Statislai in Rupella à populo visitantur in pane & aqua debeat ieiunare, & cum ipso infantulo Ecclesiam Sancti Stanislai in Rupella, cum lumine visitare: voto facto puerulus promptè cæpit conualescere: sed quoniam mulieres quæ promptæ sunt ad vouendum, tardæ fiunt ad explendum, eo pacto, cum eadem mulier, illud votum explere negligeret, & aliquandiu ad Sanctum Stanislaum ire prætermitteret: interim idem infantulus, ad prunas ardentes, capite impegit, & matri ingeminatur dolor ex altero periculo filij moribundo: sed quia iuxta Gregorij sententiam, mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt: nouo igitur dolore vexata, & primi recordata voti, facinus suum recognoscens, asserit propter fractionem voti emissi, alteram similem molestiam, in eodem filio accidisse: demum mulier compuncta promittit se votum impleturam, nec ampliùs morata,

morata, ſingula quæ deuouerat facere cæpit effectu, quo facto & infantulus ſanitatem recuperat, & periculorum de cætero euaſit incurſionem.

CAPVT XXIV.

Ancilla quædam aquis ſuffocata fuſis precibus à Domina ad Diuum Stanislaum libera euadit.

FIlia Catharinæ Viduæ de Zakrzewo ante Caſimiriam, decennis pondere raparum humeris appenſo, Cracouiam iuit, & inundatione aquarum pontes tranſcedente, nauiculam conſcendit. Cum autem nauta illam cymbâ vehens per Viſtulam, alij nautæ in ſimili procedente nauigio obuiaſſet, vnus alteri cedere nolens alter in alterum cymbis impegiſſent, iſtius nauicula fluctibus impulſa vertitur: & ipſe & puella periclitantur, ſed nauta cuiuſdam beneficio ligni natatilis, ſaluus naufragium euaſit. Iuuencula autem pondere, quòd humeris alligatum habebat preſſa, aquis ſubmerſa ſuffocatur. Hæc alia mulier dum ſtaret in ripa proſpectans, & ancillam periclitantem videns, ipſam ad Sancti Staniſlai limina cum viua oblatione tranſituram deuouet, & promittit, & præ horrore videndæ mortis, oculos in terram deiecit: & poſt erecta vidit viceuersâ ancillam de aquis emerſam, ſimul cum pondere humeris appendente, & tandem muliere preces,

ad Sanctum Staniſlaum profundente, puella patrocinijs Sancti Staniſlai de periculo morris libera euaſit.

CAPVT XXV.

Infans octo dierum extinctus præſidio Diui Stanislai reuiuiſcit.

PEtri dicti Fraczek cerdonis circa portam ſutorum Cracouiæ infans, octo ab ortu ſuo habens dies, graui infirmitate corripitur, & tandem vna cum matre, ex partu periclitata abſumuntur, ſic fructus ventris Matri mortem attulit, & Patri vtriuſq; ſuperſtiti dolorem cordis, & gemitum duplicauit: tamen mage de filij, quàm vxoris morte anxius, cæpit de vita filio reddenda eſſe ſolicitus. Quapropter ſuaſu amicorum, Sancti Staniſlai præſidium, ſeduliùs inuocabat, infantulumq; defunctum ad Sanctum Staniſlaum in Rupellam ſupplex deuouet. Quo facto omnibus cernentibus puer reuixit, nec priſtinæ infirmitatis veſtigium aliquod in eo apparuit.

CAPVT XXVI.

Iuuenis ſubmerſus inuocato mente S. Stanislao enatat.

JVuenis quidam caſu ſubmergitur, & cum ſub aquis per vnius ferè horæ interuallum gemeret, mente licet non ore Sanctum deprecatur Staniſlaum, vt ſibi auxilium ferat, & mox inuocatione facta, enatat & ſa-

nus

nus cum candela ſibi commenſatura, ad Eccleſiam Sancti Staniſlai in Rupellam venit; in Sanctum Staniſlaum pro ſua liberatione gratiarum celebrans voce ſonora actiones.

CAPVT XXVII.

Caligans quidam Oculis voto ſuſcepto ad integrum viſum recipit.

GRegorius Sandomirienſis Ciuitatis Notarius, vir iam in ſenium procliuus, quamùis claros viſus fuerat oculos habuiſſe, caligo tamen quædam illis ſe ſuperinfundens, exiguam illi videndi reliquerat poteſtatem, nec ſperabat ſibi alicuius remedij beneficium profuturum, cum ſenibus vix aliqua remedia, naturalia poſſunt ſuffragari, vt potè quorum iam natura fatigata, difficile alicuius medicamenti ſuſcipit iuuamen. Vnde ad remedia Diuina conuerſus, deuouet Beato Martyri Staniſlao certa obſequia impendere ſi ſe ſenſerit in viſu conſolari, ſed non expectato voti effectu, quod vouit ſincerè adimplet, quas dum ſcilicet orationes, peregrinationes, & ieiunia per anni circulum continuat, vt promiſit, fine anni votiui appropinquante cæpit viſus beneficium recuperare, & ipſo plenè nondum lapſo, plenam viſus ſanitatem reſumpſit.

CAPVT XXVIII.

Mulier sex Mensibus oculis capta visum recuperat.

ANno Domini Millesimo quadringentisimo, trigesimo sexto, vxor Matthiæ Kiecher Barbara nomine Theutonica de Teschin lumine oculorum per sex mensium spatium orbata, ad Sanctum Stanislaum deuota beneficium visus illico recuperauit.

CAPVT XXIX.

Mulier amissos oculos in morbo, recuperat.

DOrothea vxor pictoris Cracouiensis, tam grauí morbo & infirmitate corporis corripitur, vt morbus in occipite inualescens, vtrumq; oculum ipsius de locis naturalibus excusserit, & euulserit vsq; supra genas dependere cóègerit, quòd fuit & spectatu abominabile, & auditu horrendum. Quo viso Physici, de remedio diffisi consulebant globos oculares, sic insolito more, & longæua distantia à situ suo dependentes rescindendos, & malle semel cadere, quam semper & abominabiliter, cum ingenti dolore pendere. Sed anxia mulier saniori freta consilio, Omnipotenti Deo, & Sancto se deuouet Stanislao, seq; Missam cum luminaribus in Rupella legendam curaturam promittit: vix voto completo, globi oculares in situm suum, redeunt, & mulier plene officio potitur videndi: quæ vt ple-

vt plerique faciunt oblita beneficij procraſtinabat implere votum, poſtmodum multis & varijs moleſtijs pulſata, votum perfecit, quo perfecto, ab omnibus moleſtijs ſe ſenſim ſupportatam, vnde ſedulò petiuit, hæc plebi publice nuntiari, & glorioſa Beatiſsimi Staniſlai magnalia in ſe magnificè, collata euulgari poſtulauit.

CAPVT XXX.

Mercator Cracouienſis caligans oculis clarum viſum recipit.

ANno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo Menſe Maio, Petrus Hiſperk Mercator Cracouienſis, homo natu & ætate grandæuus, & facultatum copijs non mediocriter abundans: volens finem vitæ ſuæ bonis operibus præuenire, & de bonis à Deo ſibi collatis, expeditam facere rationem, facultates ſuas liberaliter, in pios vſus, ac fabricas Eccleſiarum diſpenſabat. Hic ad Eccleſiam Sancti Staniſlai in Rupella ductore præuio veniens, iam enim, tum præ ſenio, tum præ dolore caligantibus oculis, ſine duce incedere non valebat. Cum Rectore illius Eccleſiæ Magiſtro Iacobo Parkoski de Zorawicze decretorum Doctore conferebat, qualiter etiam illi Eccleſiæ de bonis ſuis aliqua impertiretur. Vnde primùm de conſtruenda Capella, in dextra parte Eccleſiæ prædictæ, cuius fundamenta, tunc iaciebantur, decem mar-

cas, dare ſpopondit. Demum de aliquibus bonis immobilibus pro dicta Eccleſia, vt ſciſcitaretur, dictum Rectorem hortatus eſt. Qui cum his definitis à prædicto Rectore Eccleſiæ diſceſsiſſet, & versùs locum Sancti Staniſlai gradatim deſcenderet: cæpit cum Sancto Staniſlao mente tenùs paciſci, dicens Sancte Staniſlae, ſi vis vt iſta, quæ iam cæpi pro tuo honore opere compleam, me etiam paululum inde conſolatum velis, & vt aliquantulum in viſu conualeſcam ſuccurrito. Vix talem conceptum apud ſe finiuerat, & mox inſperatum lumen oculorum illi reſtituitur, & acſi de aliquo obſcuro loco, ad ſerenam luçem egreſſus fuiſſet, illuminatur: huius igitur beneficij non ingratus, vt promiſerat decem marcas pecuniæ illico Eccleſiæ in Rupella dedit, & demùm pro nonaginta marcis molendinum in Villa Epiſcopali dicta Blonie, prædictæ Eccleſiæ comparauit.

CAPVT XXXI.

Puer cæcutiens inoptato donatur viſu.

LElouiæ, in Oppido Palatinatus Cracouienſis, filius aduocati, quatuor annorum, nimio dolore oculorum torquebatur. Die autem Sancti Staniſlai aduocatus præfatus, cum vxore & familia ſua diſcumbens, cum veniſſet ſibi in memoriam ſolennitas Beati Staniſlai, & præſertim frequentia hominum, vtriûſq; ſexûs,

quæ

quæ illo die in frequenti & numerosa multitudine concurrit ad Ecclesiam illius, suspirans ait, quanta solennitas, quantusque concursus, hominum nunc est ad tumbam Beatissimi Martyris S. Staniſlai in Rupellam, & verso sermone ad Beatum Staniſlaum dixit. O gloriosè Martyr Sancte Staniſlae, nos etiam mæstos in prole nostra consolari dignare. Cum hoc dixisset, filiolus ille fere cæcus, de angulo in quo delitescebat, perfectè sanus, in visu processit dicens: date etiam mihi manducare: vt quid? mei obliti estis. Parentes igitur videntes filium sanum, quem omnino videbant cæcutientem, meritis Beati Staniſlai iudicantes hunc esse illuminatum, illicò ad limina eius, cum puerulo sunt profecti. Venientes igitur in Rupellam, prædictum Dei beneficium enarrarunt, laudes Deo, & Sancto Staniſlao referentes, & postulantes hoc publice publicari.

CAPVT XXXII.

Canonicus Sandomirienſis oculorum lumine desperato sanatur.

MIchael dictus Gothisnam, Canonicus Sanctæ MARIÆ Sandomirienſis, graui infirmitate oculorum percellitur, se conualescere humanitus desperans; immò perpetuo priuari visu metuens, ad Sanctum Staniſlaum deprecandum se conuertit, votumq; visitandi eius Ecclesiam in Rupella deuouit. Mox voto emisso

cæpit

cæpit conualeſcere, & votum perficiens, plenam ſanitatem reportauit: petens hanc gratiam per Sanctum Staniſlaum ſibi factam, publicè præconiſari.

CAPVT XXXIII.

Mulier continuis affecta languoribus pota aqua ex piſcina S. ſanatur.

ACcidit inſuper in ipſa Cracouienſi Ciuitate, non minùs inſolitum miraculum, in quo non mediocre pijſsimi Patris Staniſlai apparet beneficium: Matrona inſignis, Barbara vxor Staniſlai Stan Strichar, Ciuis Cracouienſis, grauiſsimis tenebatur diu afflicta languorum incommodis, ſic videlicet, vt plerunq; ore hians, putaret ſibi vomitandi opprobrium imminere. Et cum extento collo & ore hians proſterneretur, non niſi cuiuſdam aquoſi liquoris ad vnius vrnæ continentiam ex ore ipſius deffluebat. Quæ cum multos tam ciuitatis, quàm aduenas Phyſicos conſuleret: & iam magnam partem ſubſtantiæ ſuæ in medicos erogaſſet: nullo comperto remedio, tandem ad Sanctorum remedia ſe conuertit, & multorum Sanctorum multis attritis liminibus fere quatuordecim annis, nullum ſuæ calamitatis ſenſit iuuamen. Porrò in ſe reuerſa, ſe ipſam alloquebatur. O me miſeram, & tam inſanam fæminam, exterorum Sanctorum, ſancta peto auxilia, nunquid deeſt Cracouiæ Sanctus, cuius ope mea poſsit

ſanari

ſanari ægritudo. Corde igitur fido, Beatiſsimi Martyris Staniſlai, ſupplicat auxilium, & in Rupellam profecta, die veneris Miſſam in honorem ipſius poſtulat celebrari, qua cum deuotione audita, & reliquias deuotiſsimè exoſculata domum redibat: & vt moris eſt, locum illum viſitantibus, in reditu, lacum in quem proiectæ fuerunt partes, & membra præſulis glorioſi acceſsit, & aquam lacûs confidenter portauit, mox ſenſibiliter ſanitatem, ſibi redditam, & infirmitatem fugatam agnouit, illi nempè aquæ tunc potatæ, à præcordijs illius patentiſsima diuturna & concreta ceſsit infirmitas, modo quo quis manu in tibia humorem quempiam abſtergeret, quæ beneficij à Sancto Staniſlao ſibi poſt longæuam vexationem præſtiti non immemor, caſulam cum integro apparatu, & pallium Altaris de pannis purpureis, cum pallijs conſecratis contulit: atteſtans palam ſe à dicta infirmitate liberatam auxilio Diui Staniſlai.

CAPVT XXXIV.

Mulier laborans in partu partum feliciter enititur.

BArbara vxor Nicolai Cracouienſis Ciuis, dum periclitaretur in partu, ad Sanctum Staniſlaum votum emiſit, & continuò ſalubriter, & ſine periculo partum protulit, quæ & ſe ipſam ad ſepulchrum Beati Martyris Staniſlai defatigans, & infantem editum deferens,

quantum periculum, beneficio Martyris Dei euitauerit, apud cunctos edixit.

CAPVT XXXV.

Infirmus ſanatur.

PEtrus Procurator Magiſtrorum Collegij de Igolomia, grauiter & vſq; ad mortem infirmatus: poſtquam ad Sanctum Staniſlaum in Rupellam ire Miſſam legi ordinare, de eo, deuouiſſet, continuò priſtinæ redditus eſt ſanati.

CAPVT XXXVI.

Idem experitur Mulier quædam Cracouienſis.

DOrothea vxor Ioannis Stolmacher Cracouienſis, tribus annis, cum dimidio, ægra iacuit immobilis: & poſtquàm Sancti Staniſlai in Rupellam viſitaturam ſe limina deuouit: ſurgens prout vouit meritis Sancti Staniſlai, obtinuit ab omni languore ſanari.

CAPVT XXXVII.

Theſaurarius R. P. deſperatam ſanitatem ex electione ſanguinis recipit.

VIr inſignis & generoſus Andreas de Lublino Vladiſlauienſis Diæceſis, Theſaurarius Regni Poloniæ, & Capitaneus terræ Dobrinienſis, in quandam grauem infirmitatem incidit: quàm Deo propitio &

per

per operam medicorum euaſit. Cum autem coualeſceret, causâ recreationis ad venandum vrſos, (cum eſſet vir magnæ audaciæ, & agilitatis, & huiuſmodi ſæuarum ferarum peritus venationis) cum familiaribus ſuis, ſaltus & nemora petit. Cumq; vrſum inſequitur crepuſculo inſtante, equus cui inſidebat obice cuiuſdam' trunci, grauiſsimè cecidit, & inſeſſor admodum colliſus ſemiuiuus, inter manus familiarium, domum referebatur. Itaq; in priſtinam ægritudinem concidit, adeo in breui tempore ab illa oppreſſus eſt, vt medici de vita eius deſperantes, amicis eius, tunc ei aſſiſtentibus, propè diem eum denuntiauerint morituru. Ipſe deinde cognoſcens, viribus ſe deſtitui, videnſq; ſe morti vicinum, præcipit extra cubiculum foras ad conſpectum totius familiæ ſuæ, cuius non paruam copiam habuit ſe efferri, & cum elatus fuiſſet, cæpit domui ſuæ prouidendo, vnicuiq́ue ſeruientium, pro obſequijs iuxta exigentiam meritorum ſoluere, propter quod familiares, lacrymis perfuſi, in altum voces attollunt dicentes. Orabimus Deum & Sanctum eius Martyrem Staniſlaum, celebre enim erat nomen & patrocinium in tota domo eius Sancti Staniſlai; vnde & primogenitus eius, & vnicus hæres hoc nomine appellatus eſt, vt tibi adhuc ſpatium vitæ concedere dignetur. Erat autem hoc præcipuum mortis vicinæ indicium, quia per vnius noctis moram, ad

quantitatem vnius vrnæ ſanguinem excreabat, qui fluxus ſanguinis, nulla ope medicorum poterat, vel inhiberi, vel reſtringi. Nullum etiam cibum, aut potum, poterat continere, ſed mox ſumptum egerebat. Cernens igitur miles ipſe humanum ſibi deeſſe auxilium, ad Omnipotentis Dei, & Sancti Staniſlai ſe conuertit poſtulandum ſuffragium. Accerſitâ igitur coniuge ſua Petronellâ, venit, inquit, mihi in mentem, videturq; bonum vouere, me limina Sancti Staniſlai in Rupella viſitaturum. Et quamuis inuitus, aliquomodo his votis obligare videar, Dei tamen Omnipotentis pietate, & Sancti Staniſlai ſuffragio confiſus: ad Sanctum Staniſlaum, in Rupellam, cuius parum ante meminiſtis, ſi ſuis ſuffragijs vita mihi reſeruata fuerit, iturum me promitto. Quamprimum igitur prædictum votum ore ſincero & deuota intentione expreſſit, mox conualeſcere ſe ſenſit, iam patulum & inſignem, qui illo toto die, à mane vſq; ad veſperum ſolum modo ter ſanguinem excreauit, cum alias millies per diem, & tantundem per noctem excreare non ſatis ſibi foret. Sequenti autem die, tantum his & tertio plenam conualeſcentiam ſenſit. Quapropter non poſt multos dies Cracouiam iter arripuit, vnum milliare itinere pedeſtri conficiens, in Rupellam ad limina Sancti Staniſlai veniens, cum laude & gratiarum actione Sancto Staniſlao votum prout vouerat perſoluit: ſed

non

non immemor beneficij, & nec gratiæ ingratus, beneficium beneficio, & gratiam benedictione ſtuduit compenſare, ſeptem lapides ceræ obtulit Sancto Staniſlao cum effectu.

CAPVT XXXVIII.

Captus pedibus vſum eorum recipit.

NIcolaus dictus Ogonek Oppidanus de Zator, tactus infirmitate graui in pedibus, quatuor Menſibus, & amplius totius corporis deſtitutus viribus, nec de lecto ſe mouere poterat, nec in lectulo de latere in latus alterum volutare, propter quod dorſum inquo ſupinatus iacuit, & diuturna quiete erat quaſi cute nudatum, tali miſeria preſſus ad implorandum Sanctum Staniſlaum ſe conuertit, & viſitaturum eius ſepulchrum in Rupellam, cum cereo ſibi pari ſe repromittit, facto voto illico conualeſcere cæpit, & breui tempore ſanus effectus, quod vouerat fideliter adimpleuit.

CAPVT XXXIX.

Grauiter infirmus ope ſancti reſtituitur ſanitati.

IOannes Heptarz Cracouienſis, grauiter infirmus languebat, adeoq; languori ceſſerat, vt medici, qui eius curam habebant, de eius vita deſperarent. Qui intelligens Medicos terreſtres, in curando ſe deficere, ad Medicum cæleſtem ſe fiducialitèr conuertit, à San-

cto Staniſlao poſtulans deuotiùs, vt apud Deum ſibi tempus pœnitentiæ obtinere dignaretur, eius monumentum in Rupella maiore, quo popterat affectu viſitaturum ſe deuouet, voto expreſſo, continuò ſe vitæ inſperatæ ſenſit reſtitutum, & ſurgens alacer votum perſoluit, petens illud prodigium in eo factum omnibus prædicari.

CAPVT XL.

Energumena à dæmonio liberatur.

MVlier quædam Cracouienſis, à dæmonio vexabatur, non adeò quidem vt turbaretur in ſenſibus, ſed ſic ſpiritus eam exagitabat immundus, vt nec comedere, nec dormire eam ſineret, quæ illa amarè ferens, & proceſſu temporis plus ſe vexari metuens, pro auxilio ad Beatiſsimum recurrit confidenter Staniſlaum, & eius limina in Rupella tota deuotione ſe deuouens viſitaturam, quo facto dæmonio ſe protinùs, ſenſit liberatam, & ampliùs ipſius nulla ſentire impedimenta.

CAPVT XLI.

Quidam ardens continuis febribus liber euadit.

MArcus Ciuis Cracouienſis, febribns æſtuans, Phyſicorum prætermiſsis ſuffragijs, ad Sanctiſsimi Patris Staniſlai ſe patrocinia conuertit, nec in caſſum.

Quam-

Quamprimum enim votum visitandi limina eius in Rupella fideliter emisit, illicò febribus, se liberatum præsensit, atq; illicò voto suo satisfaciens, Ecclesiam in Rupella adijt, & Sanctum Dei victimis & oblationibus honorauit.

CAPVT XLII.

Idem beneficium reportat infans.

INfantulus, Matthiæ dicti Kiecher, coniugis Barbaræ de Teschin, quem in humeris ad Sancti Stanislai limina, tunc attulerant, grauibus febribus, per medium annum pulsabatur: quem similiter postquam ad limina Sancti Stanislai deuouerunt, omnis febris, & dolor ipsius protinùs effugata sunt.

CAPVT XLIII.

Similem refert gratiam Cracouiensis matrona.

MAgdalena mulier Cracouiensis, grauissima febri corripitur, ipsaq; inualescente, in tantam infirmitatem deuenit, vt per diem totam exanimis iacuerit. Tandem verò ad se paululùm reuersa, ad Ecclesiam Sancti Stanislai in Rupellam, se iterum, & Missam de Beata Virgine ordinandam dici promisit, illicò se à febribus liberatam gauisa est.

CA-

CAPVT XLIV.

Ciuis Cracouienſis præſidio Sancti periculum prædonum euadit.

ANno Domini Milleſimo quadringenteſimo, trigeſimo ſeptimo, die decimaoctaua menſis Aprilis, Ioannes dictus Czech Ciuis Cracouienſis cum ſtipatus familiâ ſuâ equeſter per viam tranſiret, & nonnulli præda viuere aſſueti homines, labe Hæreſis Bohemicæ, ſiuè viclefiſticæ infecti, in frequenti equitatu publicum iter obſediſſent, quibus iam ita propinquus ipſe erat, vt eorum manus nullatenus euadere poſſet. Ipſe tandem omni ope humanâ deſtitutus, pro auxilio ad Deum Omnipotentem, & ad Sanctum Staniſlaum refugit, promittens in perſona propria, ipſius limina viſitare, ſi periculum imminentis mortis euadere poſſet. Nec dum voto finito, equum calcaribus ſtimulans, per medium ipſorum tranſiuit ſecurus, ipſi autem cæcitate, ſicut olim Gommoritæ in vallatione domus Loth percuſsi, ipſum per medium turmæ ipſorum tranſeuntem non viderunt. Vnum duntaxat familiarem ſuum, ipſum ſequentem, cum equo apprehenderunt. Et multis inſuper alijs periculis, meritis Sancti Staniſlai, ſe præfatus Ioannes Czech pluries aſſeruit liberatum.

CA-

CAPVT XLV.

Eodem beneficio potitur quidam peregrinus Częſtochouiam.

HOmo quidam Częſtochouiam proficiſcens, à latronibus impetitur, qui ſancti implorans auxilia Staniſlai, quamuis ob gloriæ Virginis honorem peregrinaretur, Sancti tamen Staniſlai præſenſit auxilium. Nam mirabiliter de manibus latronum ſoſpes rebus & perſonâ ſaluus euaſit, & ad Sanctum Staniſlaum in Rupellam veniens, hoc publicè prædicandum petijt.

CAPVT XLVI.

Podagricus vſum pedum recipit, idem manſuefactum vrſum in ſolitudine experitur.

NIcolaus Wagl armiger terræ Lancicenſis, in Vngaria ſeruiens, in Caſtro dicto Kunratowkamien grauiſsima infirmitate, in femoribus & pedibus percuſſus, iuxta ac podagricus ab alijs ferebatur, neq; enim ambulare, immò nec in equo aut curru equitare valebat. Tandem poſtquam humana, conſpexit ſibi deeſſe iuuamina ſæpiùs adhibita, ad Deum, & ad Sanctum eius Martyrem Staniſlaum, pro auxilio ſuorum defectuum ſe conuertit, & pedeſtri itinere promittit ſua limina, ſi habere liberum greſſum poſſet, viſitare, vix voto emiſso, conualeſcere ſe ſenſit. Sed

nec integram ſanitatem expectans, de loco facti voti iter arripit : & in via conſtitutus, Sancti Martyris beneficio, plenam ſanitatem reportat. Inſuper in ipſo itinere, multa pericula latronum & beſtiarum, Martyri glorioſo ſe deuouens, perpeſſus euaſit. Cum enim à Villa Iabłonkow, verſus Poloniam, ex Pannonijs tranſiret. cum eſſet homo annoſus, & deſerti reſtabat latitudo, cuius non poterat, vno die amplitudinem ſuperare : ſole occumbente, quieſcere in ipſa vaſta ſolitudine cogebatur. Adeſt vrſus interea inſolitæ magnitudinis, de quo fama illius viciniæ volabat multos deuoraſſe iam homines, quô viſo ille, cum nec fugæ, nec defenſionis adeſſet facultas, ſe Deo & Sancto commendat Staniſlao. Quo facto, vrſus manſuefactus, omni feritate & rabie depoſitâ, præfatum Nicolaum Wagl, aliquoties circumiens, & inſpiciens, quaſi Diuinâ prohibitus potentiâ, clamans, & rugiens, profunda eremi petit, & ille ſopore bono noctem finiuit. Tantò maiores in Deum & Sanctum ſuum Staniſlaum gratiarum actiones celebrans, quantò ex maioribus periculis, Beatiſsimi Staniſlai præſidio ſe præuiderat erutum.

C A-

CAPVT XLVII.

Puella destituta vsu pedum, eum præter spem recuperat.

FRancisci Oppidani de Grodek, Diœcesis Leopoliensis, filia quatuor integris, & contiuuis annis, in pedibus contracta non poterat aliquatenus se mouere. Sed velut truncus aliorum manibus in lectulo voluebatur : postquam autem ad Sanctum Stanislaum ipsam ducendam, Franciscus parens promisisset, protinùs surrexit, & perfectè ambulare cæpit.

CAPVT XLVIII.

Epilepsia correptus repente liberatur.

LAurentius filius Brunar textoris Casimiriensis Epilepsiâ sternitur, sed Parentibus pro eo votum, Sancto Stanislao vouentibus, continuò liberatur.

CAPVT XLIX.

Præsidio Sancti Stanislai apostema infirmi euanescit.

MArtinus dictus Mol Monetarius Cracouiæ, apostemate in superiori parte oculi dextri adeò grauatus decumbebat vt metueret sibi imminere cæcitatis periculum. Qui postquam Sanctum Stanislaum in Rupella se visitaturum deuouit, mox apostematis periculum euasit, quod promiserat fideliter adimplens, postulauit hæc publicè prædicari.

CAPVT L.

Insolentia cuiusdam correpta medelam recipit.

IOannes Ciuis Lublinensis, Cracouiam ad nundinas proficiscens, in vigilia Sancti Staniſlai, alijs comitibus ſuis itineris, ieiunantibus, ipſe præter neceſsitatem carnibus, quamuis alijs abundaret vteretur, mox in carne ſua percutitur, & corroſione pedis maxima vexatur. Adeò dolor inualeſcebat, vt æger mori magis quam viuere optaret. Tum menti eius illabitur, quòd propter irreuerentiam Sancto Staniſlao exhibitam, ſic torqueretur continuo, Sancto Staniſlao votum vouit ſe eius Eccleſiam cum candela viſitaturum, & deinceps illius vigiliam ieiunaturum. Vix voto expreſſo, verbis conualeſcentiam ſenſit, & breui temporis interuallo, ſanus cum ſocijs inceptum continuans iter & in Eccleſiam deſcendens, oblatione ſolenni, quemadmodum deuouerat, ad tumbam Martyris facta, & ipſe correctus, & alijs profuturus, ne quem aut ſuæ temeritatis inuoluat dementia, aut vana mobilitas, inutili leuitati compellat martyris illudere vigiliæ.

CAPVT LI.

Deus profanari aquas non ſinit membris attactas Sancti Stanislai.

MVlier quædam Ciuitatis Caſimiriæ de Parochia Sancti Staniſlai, bonæ famæ, & honeſtæ conuerſatio-

sationis, ad Sanctum Staniſlaum, cum merito ſuo ſatis deuota: habuit famulam nouiter de Villa ſibi adductam Pretnam nomine, cui quâdam vice volens veſtes lineas lauare, præcepit vt allatura aquam ad Viſtulam iret: quæ quia nouitia erat neſciens qua itur ad fluuium, iuit ad lacum Sancti Staniſlai, & hauſtam aquam Dominæ attulit, Domina porro nihil de aqua Sancti Staniſlai ſuſpicata, ſmigmata in aquam comminuit, & igni appoſuit coquenda. Cum autem vellet prædictas veſtes abluere inſpectâ ollâ vidit multitudinem cicadarum in ea, quâ viſione territa, accerſiuit quemdam Nicolaum dictum Kaim Cathedralem Scriptorem, qui tunc apud eam morabatur, dicens: forſan tu cicadas in lebetem miſeris: qui ait nequaquam, ſed videte ne fortè hæc aqua, de lacu Sancti Staniſlai ſit, & quod Sanctus Staniſlaus, ſic te terruerit. Vocat Domina ſeruam, quærit, vnde aquam hauſerit, quæ reſpondit, de illa piſcina, quæ habet ſalices ad littora, & domum ſublimẽ proximã Eccleſiæ S. Staniſlai, (cum eſſet mulier agreſtis) ſignificans: ſine mora mulier olla ſimul cum cicadis accepta ad aquam lacus venit: mira res, quàm citò enim illæ cicadæ aquæ lacus admixtæ ſunt, ampliùs nulla cicada apparuit. Quod cum vidiſſent adſtantes, Deum & S. Staniſlaum glorificauerunt, poſtulantes ſibi ignoſci, quæ non ex induſtria, ſed per ignorantiam in eius ſanctitatem deliquiſſent.

CAPVT LII.

Miraculoſè honorantur aquæ de Piſcina S. Stanislai.

ALiud quoq; in aqua cuiuſdam lacus accidit miraculum, vir grandæuus Ioannes nomine, cognomine Glatki, Ciuis Caſimirienſis braxat cereuiſiam domi ſuæ, & cum aqua ad conſummandum opus defeciſſet, familiari ſuo præcepit, vt iuncto curru equis, vas aquæ de lacu Sancti Staniſlai, pro conficiendo labore prædicto, tanto ocyus adduceret, ſeruus iuſſa Domini complens, ingreſſus cum curru in lacum, aquâ vas replens, equis aſcenſis minabat eos ſed nullâ ratione equi progredi de loco poterant, nec currum trahere, donec aqua de vaſe totaliter emiſſa eſt. His & pluribus alijs miraculis voluit Sanctus Staniſlaus aquæ lacus prædicti, in qua partes corporis ſui aliquando proiectæ erant honorare; multaq; beneficia, & gratias ſanitatum per eius intinctionem, diuerſis hominibus conferre.

CAPVT LIII.

Exponit intentionem auctor.

PRodigijs quæ ante canonizationem, & poſt, glorioſi Staniſlai Cracouienſis Antiſtitis, ſuperiore tempore præuenerant deſcriptis, etiam ea quæ in noſtram deuenêre ætatem, quæq; recenter & nouiſsimè acta ſunt ſubijciam, quatenùs virtus altiſsimi, & meritum

ritum Beatiſsimi Staniſlai poſſet, & in annos poſteros, & in generationes ſingulas dignoſci: qui non ſolùm apud priſcam operabatur, ſed etiam apud præſentem operatur ætatem, apud futuram, dummodo credentium, & adorantium illum, fidem vacillatum iri non contigerit operaturus, duo itaq; prodigia, anno tranſacto geſta, & claudendo operi congrua depromam.

CAPVT LIV.

Filia cuiuſdam Ciuis Cracouienſis aquis ſuffocata prodigioſe enatat.

LEopolienſis Ciuis & conſulis Ioannis Langno, arte pellificis conſors Heduigis, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto, ad nundinas, quæ Cracouiæ, die paſsionis S. Staniſlai, octauâ Menſis Maij inſtitui ſolent, Leopoli proficiſcebatur. Quæ dum curru mercibus varijs onuſto vecta, puellam nomine Barbaram, nouennem habens in ſuo comitatu, & in curru ad fluuium Viſloka è parte Oppidi Pilſno, vndis tunc plus ſolito, intumeſcentem peruenisſet, nauibus quæ illam trans flumen deueherent, non repertis, ſurſum per ripas fluminis aſcendebat, rata ſe inſuperiobus nauigia, in Villa Paworze offenſuram. Gradienti autem illi per altum littus, iuxta flumen ſuſpicio & coniectura euidens, verſari ſub oculis cæpit, ne littus, altum præ grauitate & onere currus, & fluctuum humiditate

ditate violandum, currum ageret in præceps. Corripit itaq; aurigam, & ſecedere iubet exlittore, atq; imminentis periculi declinare diſcrimen. Quo iuſsioni parere negligente, dum iam prope Villam Paworze ventum eſſet, rumpitur littus, & currus terrâ dehiſcente, iactus in profundum, ab aquarum ſorbetur gurgitibus, & vniuerſa quæ continebantur, per vndarum vortices occupantur. In ipſo autem euerſionis articulo Matrona prædicta Heduīgis, Sanctum cæpit inuocare Staniſlaum: cuius illi repentino ſuffragio ſubuentum eſt. Ad littus enim abſq; omni offenſione depulſa, ſuffocationis periculum euitauit. Concurrentibus autem ad ſuccurrendum, & ſpectandum hominibus plurimis, ſubmerſarum mercium, ſed & pecuniarum, quarum non modicam ſecum detulerat ſummam, collectio horis aliquot, viros ad id pretio conductos, Heduigi ſpectante agebatur. Cumq; rerum magis notabilium ereptio proueniſſet, & Heduigis præfata omnibus rebus in currum impoſitis vellet reſumere curſum, tum primo mentem ſubit, filiolam Barbaram ſecum vna aquis ſuffocatam deeſſe, cuius hactenus pauor ingens, quo fuerat ex magnitudine tam periculi, quam damni correpta, non ſiuerat aliquam habuiſſe rationem, quatenus prouidiſſet illam tempeſtiue inquiri. Suffuſa itaque ingentibus lacrymis, altos clamores emittens adſtantem multitudinem, in ſui commiſerationem

tionem impellebat. Illius, itaque qui ſibi periclitanti ſubuenerat, & ex profundo pelagi eripuerat, ſe totam, & filiolam, protectioni committens, & pietati, magnâ vociferatione in littore conſiſtens, & locum ſuffocationis proſpectans implorabat ſuffragia, ſemiplenum ingeminans ſe iam conſecutam à viro Beato Staniſlao beneficium, ſi filiolam ſuam dimidium animæ ſuæ ſuffocatam, recuperaret integram conſecuturam. In hac itaque anxietate & tam flebili mærore poſita, dum ſinguli adſtantes viri & fœminæ ſuaderent, de ſepeliendo & reperiendo magis, quàm de viuificando corpore filiolæ rationem habendam, priores atq; in partes inferiores fluminis pro conquirendo cadauere, in quas illud ex tam longa mora ſuſpicabatur defluxiſſe accurrendum. Miſera ſola mater à loco ad quem naufragium prouenerat oculos non amouerat, filiam nomine vocans, meritum & ſuffragium Beatiſsimi Staniſlai, erat enim cor illius fidei & ſpei plenum, interpellabat, infeliciſsimam ſe mulierem, commemorans ſi filia interijſſet: nec mora conſpicitur in ſuperficie vndarum, vbi periclitata fuerat, filia viua & incolumis, ex medio fluctuum erupiſſe: atq; velut immobilem, curſu amnis veloci, ne quicquam impediente, conſiſtere: & illicò grandi exhilarata gaudio voces in àéra tollens, Sanctum Dei Staniſlaum benedicit, glorificat & extollit felicemq; ſe, Beatam, filiæ viuificatione, &

plùs quàm à morte ſuſcitatæ profitetur. Quam per nautas in Cymbis, in aridam relatam maternis, complexibus excipiens, & Cracouienſem maiorem Eccleſiam ingreſſa, quanta & quam mirifica clementia Saluatoris, per merita Beatiſsimi Staniſlai, præſtiterit beneficia, omnibus narrat, filiam quoq; vitæ reſtitutam priſtinæ quo efficacior foret ſuæ narrationis & prodigij ſeries oſtendit. Impetrat deinde à Sacerdotibus, & Vicarijs Eccleſiæ ad ſepulchrum Beatiſsimi Stanislai, ſolenniter de Sancto Dei cantari Miſſam, ad quam plures inſignes accendi & ardere procurauit cereos, atq; in Sancti Dei, ſuæ quam & filiæ ſtupendæ ereptionis, & viuificationis memoriam, auro manus implens peregit, ſuam ad altare oblationem, geminoq; gaudio læta in propria redijt.

CAPVT LV. Et vltimum.

Infans oppreſſus & ſuffocatus à morte poſt aliquot dies reſuſcitatur.

COnſors Catharina Matthiæ ruricolæ, prope magnam Opatow Cracouienſis Diœceſis ſub eiuſdem anni tempore, Menſe Auguſto, filiolum quem paucis ante menſibus pepererat, videt extinctum: dormiens quippe Sabbatho, in noctem ſequentem diei Dominicæ, vſquequo animam exhalaret, illum oppreſſerat. Cuius morte ſuppreſsâ, & tam à viri ſui, quam cuius-

libet

libet alterius notitia celata, Beatiſsimo illum Staniſlao deuouens Cracouiam cadauer extincti filij, humeris portans profecta eſt, eâ certitudine freta atq; fiduciâ, filium ad vitam quamprimum ſepulchrum Beati Staniſlai contingeret rediturum, abſumpti ſunt in ea peregrinatione quinq; dies, & pueri oppreſsi corpuſculum, ſub proceſsu tot dierum gelidatum iam riguerat, vnam tantummodo anum habens in comitatu quæ illam in ferendo funere vicariâ ſuſtentabat viciſsitudine, admonebaturq; præfata fæmina ab omnibus in quorum hoſpitia declinabat, vt cadauere filij ſepulto domum remearet, fæmina tamen meritò & ſuffragio Beati viri fidens, à proſequendo itinere nequaquam poterat auerti. Vir inſuper eius magnâ anxietate diſtinebatur, quod vxorem ſuam iniuſſu ſuo, atq; ſcitu abeuntem, crediderat ad alterius illicitos concubitus in aliquam longinquam regionem diuertiſſe. Cum itaq; mulier onere funeris filij ſubſarcinata, Cracouiam feriâ quintâ, & ſextâ die, poſteaquam filium iugulauerat appropinquare cæpiſſet: quamprimum Ciuitas Cracouienſis ab ea conſpecta eſt, puer quem humeris tulerat primùm oſcitauit, & deinde muliere procumbente cum fletibus, puero etiam in terram depoſito in genua leuem fletum edidit, ad extremum, matre cum fletibus orante, reuixit. Quem Cracouiam ad Eccleſiam maiorem deferens, & ante ſepulchrum Beati

Staniſlai deponens, & Diuinæ benignitatis virtutem, & Sancti Staniſlai mirandum in reſuſcitatione, tam diuturno tempore mortui filij cunctis prædicauit, ſibi præſtitam pietatem: peregrinatione expletâ, Muliere cum filio viuo ad penates proprios reuertente. Vniuerſis quidem gaudium, viro tamen, ſuo exultatio immenſa, & de reditu vxoris, & viuificatione filij affulſit. Multa ſunt præterea, quæ in expulſione dæmonum, inſtauratione claudorum, ſanitate febrium, & languorum, ſuſcitatione mortuorum, illuminatione cæcorum, cæteriſq; infirmitatibus, in vniuerſorum Polonorum regno, per Sanctum ſuum ad gloriam & honorem nominis ſui, Deus operari non deſiſtit. Quapropter & Baſilica Sancti in Pſalmorum cantu, Hymnorumq; qui illic iugi modulatione, nocte & interdiu decantantur: à Sereniſsimo Vladiſlao ſecundo Poloniæ Rege adornata eſt, ſepulchrum pulcherrimo opere, ex argento, auro nobilitato fabricatum, & teſta ſacra auro mundiſsimo contecta.

MIRA-

MIRACVLVM
De nouo B. Stanislai additum.

Quidam hauſtum venenum ope D. Stanislai eijcit, & ſanatur.

BArthoſius quidam Vincentij Volha filius, Oppidani de Przecław Laicus Cracouienſis Diæceſis, viridis ætatis homo, habens citra triginta annos, orbatus parentibus, & ſubſtantiam paternam, videns eſſe tenuem, in obſequijs Dominorum cæpit verſari, tandem vberiorem quæſtum conſecuturus, ad Ruſsiam iuit, & in Oppido Sniatyn Camenecenſis Diœceſis, apud Dominam Elizabeth Zakrzewska relictam Zawiſchij, conductus mercede, cæpit manere in obſequijs: Quæ videns illum ſibi fidelem, volenſq; fideliorem efficere, vt eum apud ſe diutius teneret mulierem quandam, quam ipſe credebat ſolutam, Catharinam nomine, quæ tamen habebat alterum virum Martinum Clericum, qui ab ea diuagabatur, etiam in obſequijs ſuis conſtitutam, ſibi conciliauit in vxorem. Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, ſub tempus bacchanaliorum. Indignata eſt ob hoc altera mulier vehementer, Helena conſors Vincentij Oppidani de Sniatyn, quæ filiam, ſuam Dorotheam Virginem, magnopere volebat, dare in vxo-

rem, de quo iam inter dictum Barthoſium, & præfatam Helenam, aliqui tractatûs familiares præceſſerant, volens dictum Barthoſium, ab vxore, eâ die ducta ſequeſtrare, & odioſam illi facere, & filiæ ſuæ Dorotheæ amorem conciliare præfato Barthoſio iam cum ſponſa noua, in lecto cubante, ollam cum poculo venenato, attulit fingens & mendaciter aſſerens, quod Domina ſua Elizabeth Zakrzewska, pro bona nocte illud ſibi poculum transmiſiſſet, mandans vt illud totaliter ebiberet, ſibiq; illud per feneſtram, quoniam iam fores cubiculi clauſæ erant porrexit. At miſer homo & ſimplex, nullum dolum, vllum venenum ſuſpicatus, poculum vt iuſſus erat ebibens, ſtatim ſenſit ſe veneno infectum, horrores enim quidam & tremores, per omnia membra, rigidè & dolorosè diſcurrebant: ab illaq; hora, annis ſex continuis, menſe quolibet grauiter infirmabatur, deductus autem Leopolim, à quodam Medico Italo non poterat curari. Sed nec Nobilis Matrona, Anna Hunowska conſors Nobilis Dreſlai Hunowſcij, quæ eum contemplatione Diuina anno medio, varijs herbis, & pigmentis curabat, poterat ſibi in aliquo prodeſſe. Tandem ingraueſcente infirmitate, dum vbiq; ſperneretur, & mortalibus faſtidioſus eſſet, ab auunculo germano, Staniſlao Schidłowski, Oppidano de Tyczyn, in Caſtrum Sobienſe deductus, à Nobili Domino Ioanne Sobienski

Officium

Officium portæ precario obtinuit. In quo constitutus, Anno Domini Millesimo, quadringentesimo septuagesimo octauo: feriâ quartâ, die Sancti Martini in hypocausto communi inter promiscuam turbam familiarium iacens, magis cruciabatur, & insolitis doloribus adeò, vt prope animam exhalaret, videns autem se in tanto periculo, & cruciatu constitutum, clementissimo Deo & genitrici suæ, & Beatissimo Stanislao Cracouiensi Episcopo, cum lacrymis, & deuotione se cæpit totum deuouere, inuocans præfatum Beatissimum Stanislaum, & cum magnis suspirijs repromittens, quod si eum liberaret, de periculo ægritudinis, illius & mortis imminentis, vellet ad limina sua personaliter, pedestri itinere pergere, & cereum vnum ad staturæ suæ proportionem longum, ad sepulchrum Beatissimi Stanislai offerre: & tres Missas pro honore Beatissimi Stanislai legi ordinare. Affuit illicò Diuina clementia, & eius Martyris Beatissimi Stanislai magnificum præsidium, misero & languido homini, & in caliginoso hypocausto nocte constitutus: post emissum votum, magnum cæpit vomitum habere, accensâ autem candelâ, & familiaribus qui secum cubabant excitatis, vidit molem magnam & copiam veneni, & duodecim vermes viuos albos corpore, & rubros capite, admodim vermium, qui in agris, quando ager vomere sulcatur reperiuntur. Et qui in Polo-

nico

nico Padrowice vocantur : ſe euomuiſſe, mirabantur ſtupore ingenti confamiliares ſui, quod tantam in ſe habens vim & vermium, & veneni, non fuiſſet ille homo ſubitò, & dudum extinctus. Et illicò clementiâ Saluatoris, & Martyris eius, Beatiſsimi Stanislai cæperunt reſonare magnalia, & in laudes eius prorumpere : ab illo tempore cæpit præfatus Barthoſius reſumere vires, per ſex annos à veneno valido & concreto debilitatus. Quibus reſumptis vtcunq; poterat debiles artus, baculo regente ſuſtentatus, feriâ quintâ, die Sancti Ioannis ad portam latinam, venit Cracouiam, ad ſepulchrum Beatiſsimi Stanislai, & ſe illi cum cereo, à ſe deuoto, & tribus, Miſsis repræſentauit, votumq; perſoluit : recognoſcens coram multitudine, Cleri & populi beneficio ſe Beatiſsimi Stanislai fuiſſe eſſe ſanatum. In itinere autem, ex Sobieñ. illi Cracouiam pergenti : & ex debilitate coporis, breues paſſus, breuiaq; milliaria facienti, Beatiſsimus Stanislaus, vice geminatâ, per quietem apparuit, confortans & confirmans eum, vt cæptum iter abſq; metu & deſperatione, ad limina ſua continuaret interrogans illum, ſi ſe noſſet. Quo reſpondente ignoraſſe, quis eſſet, dixit. Ego ſum Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus, perge iter tuum, & de ſanitate integra, meo ſuffragio eſto ſecurus. Pollicens ſe præſidio ſuo vires in greſſu præbiturum, in quibus omnibus glorificetur clementiſsimus Deus, & inte-

intemerata Mater eius : & magnificus interceſsor, & Patronus Polonorum, Beatiſsimus Stanislaus, qui quotidie in Regno Poloniæ mirifica præſtat ſubſidia, omnibus illum fideliter inuocantibus, qui & nobis obtinea omnibus apud Chriſtum Dominum propitiationem, & ſalutem æternam, qui eſt glorioſus per ſæcula benedictus, Amen.

Miraculum de nouo additum.

Maritus cum vxore per ſomnium monitus à Diuo Stanislao è captiuitate Turcica liberatur.

ANno Domini Milleſimo quadringenteſimo, ſeptuageſimo quinto, in Decembri, quartâ die ante Natiuitatem Chriſti, cum niuibus profundis, vſque ad genua, terram prementibus, nulla ſuſpicio hoſtilis haberetur, dum omne ſolum à multitudine niuium, imperuium foret. Venit in Cziliam exercitus magnus Turcarum, & depopulatus eſt magnam partem Sclauoniæ conterminam Cziliæ, & abduxit decem millia hominum Chriſtianorum, vtriuſq; ſexûs, occiſis impuberibus, nemo enim propter profunditatem niuium ſuſpicabatur illos, pro tempore illo venturos : & ideo reperientes homines incautos, & dormientes, tulerunt illos, & omnem ſubſtantiam eorum, inter quos ceperunt etiam Martinum Ginach, ſutorem, & Vrſulam, ſororem Georgij Petri Medicinæ Doctoris,

in Oppido Raczoh, propè Oppidum Cziliæ, & abduxerunt vtrumq; in Turciam. Ex compedibus autem & nimio frigore, vtriq; pes vnus computruerat, & præfatus Martinus dolore nimio vexatus, ampliùs greſſus figere, & ambulare non valebat, præfata Vrſula, vtcunq; illi miniſtrante. Præfatus autem Magiſter Georgius ob captiuitatem germanæ, & viri eius Martini, magnis doloribus anxiatus: cæpit de eorum liberatione, mente & animo, cum opere non poſſet, eſſe ſolicitus. Cæpit quoq; non tam precibus, quàm fletibus & lamentis, Beatiſsimum inuocare Staniſlaum, Pontificem & Martyrem Cracouienſem. Cuius illi amor & deuotio, dum adhuc adoleſcens, in Studijs Cracouiæ verſaretur, propter ſingulare Martyrium, & ſtupenda miracula, & prodigia inhæſerat, quem pro omni tempore in peculiarem ſibi elegerat Patronum, & defenſorem: cuius etiam ope protectione, & ſuffragio credebat ſe de faucibus Turcarum, cum tunc in Sclauonia ſecurus, vt cæteri, in villa Czareteß, prope Monaſterium Cartuſienſium, Pletarioch conſiſteret, ereptum. Et tam ſororem præfatam Vrſulam, quàm virum eius Martinum, Beatiſsimo deuouebat Staniſlao, curam illorum, & liberationem illi totaliter deuouens, & committens. Vnde inpluribus Baſilicis, & monaſterijs, in decus & honorem Beatiſsimi Staniſlai, erogabat frequentes, in egenos,

nos, eleemosynas & Missas quàm plurimas, per viros deuotos & religiosos, disponebat celebrare, pluribus viris eius irridentibus deuotionem, & asserentibus eius labores, penitus cassos & inanes, propter formam & decorem sororis suæ Vrsulæ, decora enim erat, quam Turcæ etiamsi auro ponderaretur, non sinerent redimi, & in Patriam reduci. Perseuerat Magister Georgius in pio proposito suo, & fide magna Sanctum inuocabat Stanislaum, irrisionesq; humanas contemnebat, dicens: Credo in Deum, precibus Beatissimi Stanislai, sororem meam, & generum liberari: Post annum autem medium, fidei tam præclaræ, Diuina pietas, ad intercessionem sui Martyris, respondit. Et dum præfatus Magister Georgius in cænobio, Fratrum de tertia Regula Sancti Francisci, circa Ratisbonam dictum Kelcham, in magna abstinentia, pro liberatione sororis, & mariti sui consistens, se maceraret, & pro edulio, quotidiano vndam puram & grossum panem, iuxta illius cænobij, quotidianã obseruantiam, Beatissimum inuocando Stanislaum consisteret. Præfatæ Vrsulæ quiescenti Beatissimus Stanislaus per visum apparuit. Surge inquit, excitato viro tuo Martino reuertimini in Patriam patrocinio meo, ex præsenti calamitate, & captiuitate euasuri. Paruit illi dicto, & virum excitatum rogabat, vt irent iuxta visionem & iussionem, sed cum vir contradicerat, & se

claudum, & impotentem ad ſurgendum, & ambulandum allegaret. Surge inquit mulier, & procede à me ſuſtentandus, & ducendus vſq; ad flumen magnum, quod ſuperandum erat: annuit ille, motus oraculi religione, & ſurgens ægrè procedebat, vxore illum vtcunq; ſuſtentante. Cumq; licet Turcis illos inſequentibus, ſalui & incolumes peruenisſent ad flumen, & nauigia transfretare volentibus deeſſent, flumen quoque propter profunditatem aluei vadari non poſſet, trunco vno fortuito offenſo, virum coniunx impoſuit, & cortice arrepto, flumen ſuperauit remigando. Quos etſi noui recenteſq; Turcæ fluuio nauibus tranſito aſſequi tentaſſent Beatiſsimo tamen Staniſlao illos protegente, ſalui & incolumes, vſque in patriam non ſine admiratione, omnium mortalium peruenerunt. Cuius beneficij ipſe Magiſter Georgius memor, Cracouiam venit, & oblationem Beatiſsimo Staniſlao, iuxta votum, quod vouerat deuotiſsimè perſoluit. A quo ego Ioannes Dlugoſius, omnia hæc ex narratione perſonaliter accepi.

Aliud Miraculum.

IDem Magiſter, libros inſignes decemocto ſibi furto ablatos, furem per nouem Prouincias, & annum integrum inſequendo, meritis & interceſsione, Beatiſſimi Staniſlai, quem inuocabat, vſq; ad vnum recepit.

MIRACVLA

Sancti Stanislai Episcopi Cracouiensis & Martyris, Patroni Poloniæ.

Collecta ex tabulis & votis factis in Ecclesia Piotrauinensi, A. D. 1665.

Miraculum I.

NIcolaus Skarszewski febri malignâ prorsus ad mortis limina adducitur; quapropter humanâ ope destitutus, visitat Ædes Piotrauinensis Ecclesiæ, atque supplex ad inclytum Martyrem procidens votum vouet, & pristinam recuperat valetudinem. Huius rei extat tabula in illa Ædicula posita, Anno Dñi 1607.

I I.

STanislaus Horski ex districtu Lublinensi nobilis, per vndecim & amplius annos, dolores intolerabiles pedum tolerabat, adeo; vt sine fulcris incedere non posset. Mæsta Mater, eum ad sacellum adducit. Diui Stanislai in Piotrauin, voto concepto. Ergo ope Diui Stanislai, omnes corporis & pedum dolores, simul cum fulcris suis in illa Ædicula sacrata reliquit, A. D. 1610.

I I I.

ILlustris & Admodum Reuerendus Andreas Tarlo de Sczekarzowice Canonicus Cracouiensis, Decanùs,

Opatouienſis, in grauiſsima febri ſanitatem recipiens votum reddit, gratias agens Deo, ſimul & Martyri Poloniæ, A. D. 1615.

IV.

NIcolai Komorka laborioſi in villa Piotrauin filiæ nomine Marina, per tres hebdomadas continuè malignâ febri tenebatur, ac penè demortua iacens, oblata per Presbyterum Eccleſiæ Piotrauinenſi, ſancti Martyris patrocinio, ad ſanitatem reducta eſt. A. 1620.

V.

ADmodum Rñdus Eraſmus Kretkowski, Cracouienſis, Vratiſlauienſis, Zarnouienſis &c. Canonicus, in partes Cuiauiæ Pruſsiæq; profectus, confidens in Domino & inclyto Staniſlao Martyre, crebriores & vehementiores authumnalium ventorum flatus ſentiens, ægre Petrauium appulit. Diuo Tutelari votum vouit, vt reliquum itineris ope illius fauſtum cælitus ſortiretur. Redijt felix, & peſtilentiam omnem quæ tunc graſſabatur ſuperauit, atque ſupplex Diuo Staniſlao gratias egit, A. D. 1620

VI.

SImon Staniſlaus (quod nomen eſt ſortitus in confirmatione) Stargorski gratiſsimus hoc nomine in iſto Sacramento accepto, vſus eo velut clypeo quodam,

quo

quo in aduerſis omnia mala, morbos, pericula retunderet, votum vouit, A. D. 1625.

VII.

MAgnificus Zbigneus Vexilliſer Lublinenſis de Sienno Sienienski, mæſtus de filio nomine Ioanne, quem taurus rediens de paſcuis cornu iñaniter ictum, inflicto in coſta diro vulnere, humi proſternens ſemiuiuum reliquerat. S. Staniſlai Martyris opem implorat, votumq3 nuncupat nec vanis precibus, filius enim puer nouennis, illicò conualeſcit, Piotrauini in loco ſacro ſiſtitur, & votum reddit. A. D. 1622.

VIII.

ADmodum Rñdus Staniſlaus Garwaski, Canonicus Cracouienſis, Decanus Plocenſis &c. voti compos factus gratiam agnoſcens, in multis & magnis promiſsis ſtat, & vota reddit, quibus ſe obſtrinxerat. A. D. 1622.

IX.

ALbertus Ziolko cocus Perilluſtris Rñdi Dñi Staniſlai Garuaski Canonici Cracouienſis, malignâ febri eâque continuâ correptus, pœnè ratione deſtitutus, ſuaſu Perilluſtris Domini ſui, confugit ad patrocinium Diui Staniſlai in oppido Bozęcin, conualeſcit, Ædes has viſitat Piotrauinenſis Eccleſiæ, pœnitentiâ præmiſsâ Sacram ſynaxim recipit, & Diuo gratias immenſas

agit

agit pro recepta sanitate. Anno Domini, 1622.

X.

JOsephus Strzemeski de Strzemchi Nobilis, captiuus ductus ad triremes ab immanissimo Turca, humanâ propè ope destitutus, catenis tum pedibus, tum corpori ad pectus impositis, Diuo Tutelari se commendat, Ædes sacras Piotrauinenses visitaturus, & votum redditurus. Subitò catenæ de pedibus & pectore ceciderunt. Fatetur hoc in loco sacro, ex tam difficili itinere & longo, mirabili ratione se transmigrasse, atque non aliâ, nisi quod opem imploraſſet Diui Staniſlai. Cui gratias persoluit in ædicula illa sacra constitutus A. 1623

XI.

REuerendus Laurentius Babecki Vicarius Casimiriensis actu Presbyter hanc tabulam appendit in Ecclesia Piotrauinensi. Dum periclitor de vita Præsulis posco merita. Claudus gressum recupero, salutis dona refero. A. D. 1624.

XII.

PAulus Wielicki lethali vulnere accepto ab inimicis, redijt domum peste infectam, confugit ad Tutelalarem suum sanctum Staniſlaum, ab vtroq; liberatur, & reddit tabulam vitæ seruatæ testem. A. D. 1624.

XIII.

XIII.

SOphia Ligięzianka de Bobrkow, paraliſi infecta, & pænè tota debilitata, incedere etiam cum adjumento fulcri non potuit, viſionem habuit, quâ admonita, vt ad Ædes ſacras Piotrauinenſes confugeret, & Diuo Staniſlao ſe commẽdaret, confugit, reſtituta ſanitati votum reddit. A. D. 1624.

XIV.

STephanus Chobrcynski de Łaziska, ex diſtrictu Lublinenſi, graui dolore interno, & malignâ febre in itinere detentus, ita, vt nec loco ſe moùere poſſet. vti Paræcianus ad Præſulem diuum Staniſlaum & Paſtorem ſuum ſeſe confert, ſubitò conualeſcit, & domum rediens, nudis pedibus votum reddit, & gratias agit pro tanto beneficio. A. D. 1624.

XV.

JOannes Kolucki, varijs iactatus ventis & procellis Gedanum nauigans confugit ad patrocinium ſancti Staniſlai Patroni Poloniæ, cujus ductu felix domum propriam, poſtea Petrouinum repetit, gratias perſoluit Diuo Tutelari, & tabulam votiuam poſuit. A. D. 1625.

XVI.

ANdreas Radolinſki diſtrictus Chelmenſis, Iſtula Dantiſcum cogitans nauigare Ædes Piotrauinenſes

inuiſit, vbi ſe ſuaq; bona tutelæ S. Staniſlai Martyris totaliter committit, ſupplicat præterea, vt domum incolumis repetat. Vix Iſtulæ ſe committit, en procella inſurgit, venti naufragium vehementiſsimi minantur. Eo igitur in periculo maximo conſtitutus dum eſſet, præſertim cum ſcaphæ, quæ in ejus comitatu quatuor erant ſubmerſæ fuiſſent, aliæ poſt tergum ſequentes ſcaphæ ſexaginta ſuffocatæ aquis, nautæ duodecim velum in illo caſu deprimere non valebant, ille ſolus Diuo implorante hoc præſtitit. Igitur ſupplex pro tanto beneficio, Petrauini Diuo Tutelâri tabulam appendit. A. D. 1625.

XVII.

ALbertus de Wawrzynczyce mente captus, ſurdus, viribus deſtitutus, abſque cibo & potu per aliquot dies in lecto detentus, horam mortis expectabat, Propinqui & vicini ejus, videntes articulum mortis, offerunt eum ad ædiculam ſacram, & ecce ſubitò ſurgit, ſiſtitur, & ſanus votum reddit A. D. 1625.

XVIII.

GRegorius Stalinski, Vicarius & Actu Presbyter Eccleſiæ Piotrauinenſis, torturis viſcerum acerbiſsimis diſcruciabatur, in dies ac dies vehementiùs, neque remedium aliud ſperabat, imò nec petebat, niſi à vicina morte. Ne tamen inpœnitens decederet, languidus colli-

colligit vires, facturus periculũ vltimi ante ſupremam diem ſacrificij peragendi: is dum confitetur, ſubijt mentem religioſa cogitatio, & dicit: Cur non me ſupplex confero ad Staniſlai Præſulis opem? an non tot prodigia, in hoc ſacrario, tot beneficia, tot gratiæ &c. Accedit tremendè ad tremendũ Sacrificium, profuſis lacrymis, corde contrito, & feliciter continuat, nam cubiculum reuerſo vlcus rumpitur, in ſecretis illius penetralibus latebris, continuo per conſuetos naturæ meatus, vis ingens prorumpit, virulenti humoris ac illum omni prorſus dolore, languore, moleſtiâ, periculoque eliberat. Quiſquis ingreditur Ædiculam, legat in tabula ejus.

O beneficium! o miraculum! lege Viator, & ſi ope opus tibi eſt, meo exemplo ſpera, ora, ingemiſce, ſi piè poſces, noſces. A.D. 1625.

XIX.

STaniſlaus Paczanouius Eccleſiæ Piotrauinenſis, Commendarius, oculorum lippitudine moleſtâ, & graui per annos complures afflictus omniq; propemodum viſûs acie ſenſim deſtitutus, poſt medicorum inefficaces curationes, contulit ſe ad Ædiculam ſacram, profuſis lacrymis & corde contrito conſequitur beneficium, hæc in tabula exarans. Tuo Præſul inclyte beneficio. Iam video Diuo artificio. A. D. 1625.

XX.

STaniſlaus Bartkowski de Kobelno Nobilis, febri quartanâ & morbo hydropico per aliquot annos laborans, non ſine magno ſumptu & impenſis, pænè exhauſtus crumenâ, confugit ad Patrocinium ſancti Patroni ſui, in momento ſanus, viſitat ſacram illam ædiculam, gratias agens pro tanto beneficio Diuo Staniſlao, A. D.

XXI.

GEneroſi Adami Drzewicki de Drzewica, Georgius filius diſſenteriâ cruentâ exhauſtus, & omni pænè vigore vitali deſtitutus, dum inclamantibus afflictis parentibus ad Diuum Tutelarem ſiſtitur in loco ſacro, illico ab ipſo mortis limine extrahitur, & prodigioſè conualeſcit. A. D. 1636.

XXII.

THomas Brozek de villa Biſzcza, vno diſtante lapide ab oppido Tarnogrod, ſyluarum cuſtos, Græcæ fidei vnitæ Romanæ, & in omnibus deuotiſsimus, à biennio energumenus, à dæmone continuos cruciatus, moleſtias, dolores immenſos, maximè vero increſcente & decreſcente luna paſſus, cum ſpiritus immundus in dies & horas ſubmergere eum tentaret, nec tamen poſſet (præualuit nihilominus ſupra fratrem eius Alexium nomine, ante aliquot annos, cum eum aquis ſubmerſit) qui nec

qui nec ſolum noceret energumeno, ſed etiam pecoribus, domeſticis auibus in ſingulos menſes aliquid de illis ſtrangulans, ſequenti vero anno factum eſt: in ſomnis apparuit ei vir grauis, ſtolâ oblongâ candidâ indutus, nuncupatus ſe eſſe de Piotrauin, & monens eum, vt ſi vellet quantocius à dæmone liberari, viſitet locum ſanctum. Euigilans hæc vxori lætiſsimus nunciat, & quærit à vicinis de villa Piotrauin. Illico expeditur cognatus ejus, vt viſitet locum ſanctum, & offerat energumenum Diui patrocinio: quem etiam occupauerat malus Genius, ſed poſt factam Confeſsionem, & peractam pœnitentiam dignam, in eodem loco ſacrato dimiſit liberum. Re cognitâ, quod & ipſe ſit liberatus à dæmone, lætus arripit viam, & feliciter viſitat ædiculam, in eaque poſt confeſsionem & pœnitentiam ſacrâ ſynaxi perceptâ in præſentia multorum Præsbyterorum liberatus à dæmone, ſupplex gratias egit, & hac tabulâ votiuâ teſtatus eſt. A. D. 1626.

XXIII.

ELizabeth Skidzinska Matrona nobilis, intimos dolores cordis & cruciatus maximos in ſingulas horas tolerans, medicorum conſilio & ope nullatenus adiuuari potuit. Ergo adjutorio humano deſtituta, ad inclytum confugit Martyrem, locum ſacrum viſitat, in loco preces fundit, & ſuſpiria, pro tanto obtento bene-

ficio. Diuo igitur grata tabulam argenteam posuit. Anno Domini, 1626.

XXIV.

VAlentini Golay laborioſi in Piotrauin Sebaſtianus filius, animam agens, ſuaſu Presbyteri loci illius, cum eum deuouet Mater loco illi ſacro, & applicat, confeſtim ad vitam redit. A. D. 1626.

XXV.

HEduigis Grzywaczowna de oppido Piotrkow, obſeſſa à cacodæmone per malitiam & immiſsionem ſagarum, magnos & incredibiles cruciatus paſſa, contulit ſe ad Aſylum hoc, ſacri Tutelaris, & liberata gratias egit, atque tabulâ ſcriptâ aræ affixâ, beneficium teſtatâ eſt. A. D. 1627.

XXVI.

BArbaram Sitkowna ætatis prouectæ mulierem, cùm valetudinaria eſſet, aſsiduus dolor oſsium ita cruciabat, vt nec ſe mouere loco poſſet, quos dolores ferè per triennium tolerabat, ita, vt non vitam ſed mortem expectaret. Ægram viſitans Presbyter, ſuadet vt locum ſanctum viſitet, & offerat ſe diuo Tutelari, ſiſtitur, re diuinâ peractâ, incolumis domum redit, vouet inſuper relicto loco patrio, in hoc ſe manſuram tam miraculoſo vſque ad fata. A. D. 1628.

XXVII.

XXVII.

ALbertus Koſtka de villa Wſzadlo Paralyticus, qui nec ſe mouere poterat, nec loqui, perſuaſione Presbyteri Alberti Staſikowic, qui tunc venerat ad diſponendam animam ejus, cum illum Sacramentis munire non poſset, confugiens ad ædem ſacram. O! mirum & verum! relicto grabato ſanitatem conſecutus, affert teſtem beneficij. A. D. 1628.

XXVIII.

NObilis quædam matrona cujus nomen tacetur, veniens pro ſolennitate Martyris Piotrauinum, in peruigilio horis veſpertinis dum adeſt, perdidit annulum Matrimonialem; mæſta inquirit ipſamet, jubet & ſuos inquirere; fruſtra: non inuenitur. Sacerdos monet, vt rem perditam Diuo Staniſlao commendet, illa attamen quærere, & vocem illam edere, non crederem verè Staniſlaum eſſe ſanctum, ſi non reperero annulum perditum. Poſtridie matutina adeſſe feſtinat, eundo ad Eccleſiam in frequenti turba hominum, videt aliquid intra ſordes & puluerem ſplendeſcere, ſiſtit greſſum, puluerem verſat, & inuenit annulum miraculoſe; vbi peruenit ad Eccleſiam, gratiarum actionem ſolennem pronuntiauit, & hoc beneficium icunculâ expreſsit. Anno Domini, 1628.

XXIX.

XXIX.

SImon Rozeberski Medicinæ Doctor, cum ex apertissimo naufragij discrimine, sancti Staniſlai (quem periclitans inuocauerat) ope, vna cum sua conjuge, præter omnem expectationē, incolumis euasisset. Voti reus, Diuo Liberatori illud exoluit. A. D. 1628.

XXX.

SOphia Chanska, varijs & incurabilibus morbis per triennium oppressa, vbi locum hunc sacrum adijt, & hunc inclytum Martyrem inuocauit, die eodem ad sanitatem redit. A. D. 1628.

XXXI.

MArina nomine Filia Laurentij Cichoß de villa Kamien lethaliter lecto affixa manebat, quam, vt primum pæne in vltima fati linea degentem, parentes ad Sacellum sancti Staniſlai obtulêre, magna cum omnium admiratione ad vitam redijt. Id beneficium tabella præfert. Anno Dñi. 1628.

XXXII.

JAcobus filius Laurentij Iambecki Palatinatûs Podlachiæ, cum proximus morti esset, vbi oblatus est à mæstis parentibus, ad templum Piotrauinense, statim post votum conceptum, puer prodigiose conualescit.

Eam

Eam ſancti martyris tutelam, imagine teſtati ſunt parentes. A. D. 1629.

XXXIII.

IN Generoſi Staniſlai Sczuczki villa Harbow, peſtis vehemens graſſabatur, dum vota nuncupat, ad Diuum Staniſlaũ, peſtis ceſſat & ille votum exoluit icone appensâ teſtificans. A. D. 1629.

XXXIV.

REuerendus à Chodel Ioannes Piſarkowic Canonicus Lublinenſis, Parochus in Oſtrow, in graui tribulatione conſtitutus, majoris diſcriminis vim veritus, cum tranſiret prope Petrouinum, Diuum ſibi Staniſlaum in cauſa Patronum voto facto ſupplex aſſumit, vaditq; vix elapſo triduo, & ecce omnes illas anguſtias, mirabiliter euadit, inque reditu, vota inclyto Liberatori ſuo ſacris operatus reddit Petrouini, tabellamque perpetuæ accepti beneficij memoriæ obſidem ponit. Anno Dñi. 1629.

XXXV.

MArianna Myſzkowska fortè cum ſterilis eſſet, dum in ſterilitate concipit, veniens ad locum ſacrum, ad quem ſe deuouerat, gratias D. Martyri agit. A. 1629.

XXXVI.

ANdreas Nawski ex oculis laborans, cum ad viſum reducitur, inuocato auxilio ſancti Martyris, ei in loco gratias perſoluit. A. D. 1629.

XXXVII.

STaniſlaus Bytlewski cùm oculorùm lippitudine laboraret, & alios dolores toleraret per multa tempora, ſuaſu amicorum ad hunc locum ſacrum ire cogitat, continuoq; recipit ſanitatem oculorum. Veniens ergo tabulam votiuam appendit, & hoc beneficium carmine vernaculo complexus eſt. A. D. 1629.

XXXVIII.

CAtharina Zielinska, cum de duobus filiolis Abrahamo & Andrea, in morbo papularum jacentibus deſperaſſet, offert ad Sacellum Staniſlai ſancti illos, & illicò conualeſcunt. A. D. 1629.

XXXIX.

ADamus Zablocki Ciuis Solecenſis, dum redit Petrouino poſt peractã ſolennitatem ſancti Staniſlai cum vxore ſua, & infantula Anna, fortuitò, in reditu, ad ſaxum currus alliditur, omnes ad terram proſternuntur, ſed maximè puella, cui ille lapſus vitam adimere iam parabat, mox enim animam exhalare jam videbatur. Moti celebritate ſanctitatis S. Staniſlai, & loci miraculoſi, parentes mæſti, puellam ad locum ſanctum offerunt & ecce oculos puella aperire, ſeſe mouere, ſigna vitæ edere, Superuenientes igitur parentes ad locum ſanctum, agentes gratias imaginem in æde ſacrata hoc beneficiũ repræſentantem poſuerunt. A. D. 1630.

XL.

SVb tempeſtatem, tacta fuit fulmine puella Catharina nomine, filia Generoſi Lezynski, & Iſabellæ, caput, faciem, pectus illi aduſſerat, mutam, cæcam effecerat, & vix non exanguem. Perterrita mater familiam inclamat, vt quantocyus genibus poſitis orationem Dominicam ſimul cum illa recitent, eamq; Beatæ Virgini & ſancto Staniſlao commendent. Et ecce eadem horâ puella reuiuiſcit, & tanquam à ſomno excitatur. Miraculum imago appenſa ibidem oſtendit. A.D. 1631.

XLI.

LAurentius Starczewski, Cuſtos Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis Canonicus Caliſsienſis ſanctum Staniſlaum Patronum munere Tribunalitio, cum ſanitate perfunctus pietatis & cultûs ſymbolo ſcilicet imagine oblatâ honorauit. A.D. 1631.

XLII.

CAtharina Skrzyniecka, dum inaduertenter in volam manûs cultrum illidit, igne ſacro æſtuat, à medicis deſperata, cogitur aut illo igne ſacro manum ardentem abſcindere, aut penitus ſenſim mori. Animoſa inclamat ſanctum Martyrem, Petrouinum ire deſtinat, & tam manu quam reliquo corpore toto conualeſcit. Anno Dñi. 1631.

XLIII.

CHristina vxor Staniſlai Wſtępień de Wronow febri ardentiſsimâ æſtuans dubia de incolumitate ſua, totam ſe commendat S. Staniſlao. En dum dormit, videt per quietem, virum grauem indutum candidè, qui manu ejus apprehenſa, hæc ei narrat: Ego ſum Petrus quem reſuſcitauit S. Staniſlaus, maneo in ſacello Piotrauinenſi, mori debueras, ſed meritis S. Staniſlai, ſanitate donaberis, dum modo ſacellum prædictum viſites. Maritus ejus prædicta verba audit, ipſam poſtea ea de re interrogauit: Quare nihil ambo morati viam inſtituunt Petrouinum, & beneficium hoc, imagine expreſſum ibidem relinquunt. A. D. 1631.

XLIV.

CAtharina Filiola Sophiæ Smarzeczka, vix dum nata per annum vnum & medium, varijs morbis vexabatur. Superueniente perſonâ graui quâdam, quæ ſuaderet Ædiculæ limina viſitare Piotrauinenſis; dum promittunt parentes, & voto ſeſe adſtringunt, poſtea & ipſam ædem viſitant, puella conualeſcit. Hocipſum tabula votiua teſtatur. A. D. 1632.

XLV.

BArbara Macieiowska Prioriſſa Monialium S. Franciſci Conuentûs Drzewicenſis, dum ægrum pedem à pueritia ſua habet, eumq; ſanare non poteſt vllis medica-

dicamentis, Lublinum diſcedēs in negotijs ſui Cœnobij, diuertit ad locum Diuo Martyri dedicatum Petrauinum. vota offert eodem in loco, audiens ſacrum Miſſæ ſacrificium (quod ad ejus intentionem petebat) ſenſit quaſi ventum quendam de pede ſuo procedere, & dolores ceſſare. Supplex egit gratias, & tabellam ſacello dedicauit. A. D. 1632.

XLVI.

SOphia Zarembina dum atrociſsimâ febri, per duas hebdomadas detinetur, impedum graues dolores patiens, decretum mortis expectabat. vbi ſuum hunc morbum S. Staniſlao commendat, & ad Ædiculam Piotrauinenſem ire cogitat, ibiq; ad hanc intentionem Sacramentis muniri vult, mox eodem die ad ſanitatem reuertitur. Hoc factum tabula appensa loquitur. A. D. 1632.

XLVII.

GAbriel Podhorodinski ex diſtrictu Chelmenſi, Eques, graui & maligno implicitus morbo jacebat, jamq; exigua in ſpe trahebat animam. Cum peropportunè ab affine ſuo de ſacra æde Piotrauinenſi fit certior, ad eam itaque votum facit, & ope Diui Staniſlai priſtinæ ſanitati reſtituitur. Hoc tabula appensa declarat. Anno Dñi. 1633.

XLVIII.

SOphia Kosowska filiam suam Euam, cum annum vnum & medium habentem, varijs & longis morbis excruciatam, de villa Ianiszow Petrouinum attulisset, eâ mente, vt filiolæ aut vitam in hoc loco miraculosè impetraret, aut si posset, vt primùm moreretur, terræ mandaret, vti loci ejus Paræciana. Posuit illam in sepulchro Diui Petri, dato illi cereo accenso, tanquam agonizanti, & interea Missam votiuam de sancto Stanislao, mæsta pro filiola offerebat. Vix medium Sacra illa tenuêre; ecce puella attollere sese propriâ vi, lætùm intueri, manus in altum eleuare, & verbo vno vt dicam, à limine mortis reduci. Totum hoc in tabella exaratum. Anno Dñi. 1634.

XLIX.

VEtulus Ecclesiæ adolescens nomine Fælix re pauper plusquam septuagenarius, ob restitutam Diuinitûs valetudinem, cruentâ & contumaci dissenteriâ exhaustam, icunculâ appensâ Diuum Stanislaum veneratus est. A. D. 1636.

L.

JOannes filius Remigiani Kielczewski, febri atrocissimâ conflictatus, vix quidpiam de cibis per dies decem & aliquot degustans, animam propemodum agebat. Sed postquam ab afflictis parentibus ad sacram

hanc

hanc Piotrauinenſem ædiculam, oblatus eſſet, miraculoſè conualeſcit. A. D. 1639.

LI.

DOrothea Chroſtowska de oppido Caſimirienſi, dum in itinere cum puello menſes duodecim habente, è curru labitur ad terram, puellum opprimit, & mortuum inuenit. Domum tamen reuertitur, & mariti furias experta, ſuoq; magìs materno dolore contabeſcens, mortuum puellum ad ædem Piotrauinenſem deſtinat, & tota ſe in preces dat. Vix vota illa emittit puer reuiuiſcit, pænè per horam integram mortuus erat Gratitudinis ergo Petrouinum veniens votum offert. Anno Dñi. 1642.

LII.

ANnæ Branecka Palatinatûs Podlaſiæ, dum filiolus annos ætatis ſuæ octo habens, pueriliter ludit; in puteum nimis profundum lapſus ſubmergitur, cui cum tanquam iam mortuo, & jacenti ſine anima per horas ſeptem loculus pararetur, mæſta mater animo voluit, ædiculam Piotrauinenſem, & cogitat quomodo ſolenne ſit S. Staniſlao etiam mortuis vitam dare. Feruentes igitur preces fundit, & ingenti fiduciâ freta, opem implorat S. Martyris. O mirabilem Deum in ſanctis! vix illa mater pro demortuo filiolo ſuſpiria & vota emiſerat, puer à morte reuertitur, loquitur, patrem ſalutat, ma-

trem

trem ſalutat, quem etiam viuum mater in hunc locum adduxit, primum Regi cui omnia viuunt gratias actura, poſtea Diuo Staniſlao. Tota rei ſeries in tabella deſcripta. A. D. 1643.

L I I I.

STaniſlaus Kolucki, graui febris quartanæ paroxiſmo vexatus, ab inimicis ſuis vulneratus, & pro mortuo derelictus, præ lethalibus illis vulneribus loqui non valens, à medicis derelinquebatur. Quando eum conſors ejus ad hoc ſacellum offert, conualeſcit cum multorum admiratione. Id ipſum in tabella expreſſum. Anno D. 1646

L I V.

Tereſsia Mankowska, graui apoſtemate in gutture facto laborans dum lethaliter decumbit, & interea viſitare ſacram Capellam S. Staniſlai voto ſe obſtringit, liberatur à morbo. Eſt hujus rei index tabula. A. 1647.

L V.

JOannes famulus incolæ cujuſdam Piotrauinenſis, voto non exoluto quod in morbo vouerat, dum ad incidenda ligna ad ſyluas proficiſcitur, paralyſi tangitur in toto corpore. Presbyter viaticum ſacrum ei moribundo adminiſtrans, conſilium dat, vt voto facto quantocyus eo ſe liberet: pœnitentiamq; pro commiſſa negligentia agat. Quod dum promittit, die eodem miraculosè re-

losè recuperat valetudinem, & die altero ipſemet geniculatim ædiculam illam ſacram obambulat, & gratias refert Diuo Martyri. Teſtis hujus tabella quam appendit. A. D. 1648.

LVI.

CAtharina Zorawkowa ex oppido Caſimirienſi, dum S. Martyris hanc Capellam viſitat, à varijs morbis & à calamitatibus liberatur, & inſuper à doloribus dentium, quos ſanare medici nequiuerunt ; gratias agit, & tabulam conſcriptam hoc miraculo ibidem relinquit. A. D. 1650.

LVII.

ALbertus Ianowski Palatinatûs Poſnanienſis, dum pedum dolore affligitur, nèque poteſt ſanari ope chyrurgorum, ad hunc locum ſacrum ſe contulit, votum præſtitit, ædiculam hanc ſacram viſitauit, voti compos factus, in ſignum gratitudinis, tabulam ſuam alijs annumerauit. A. D. 1650.

LVIII.

IOannes Oſowski, dum è graui periculo liberatur, vectus rate (alias Traftami) Iſtulâ verſus Cracouiam, per interceſsionem ſancti Staniſlai, ad cujus ædiculam Piotrauinenſem ſe venturum promiſerat, vota ibidem reddidit. Idem, dum ope S. Martyris, è graui morbo conualeſcit, iterum ædiculam ſacram viſitat, & mirabi-

lem Deum in ſanctis ſuis prædicat, atq; in perpetuam hujus rei memoriam tabulam dedicat. A. D. 1651.

L I X.

REuerendus Pater Chriſtophorus Iankowski, Soc I. dum recuperat viſum, beneficio Martyris ſancti, ei in equo coloris albi Pontificialiter induti apparentis votum gratitudinis in ædicula illa depoſuit. A.D. 1658.

L X.

HEduigis Pekoſlawska Caſtellaniſſa Radomienſis, dum graui oppreſſa morbo diu jacet, viam inſtituere promittit ad ædem Piotrauinenſem, & ſubito conualeſcit. Quod auxilium ſibi præſtitum à S. Martyre in tabula appenſa metris Polonicis expreſsit. A. D. 1659.

L X I.

QVædam Magiſtra Curiæ Magnificæ Dominæ Opalinska Marſchallæ, dum in certo ſuo infortunio opem D. Staniſlai experitur, ipſamet præſens in ædicula Piotrauinenſi vota ſua exſoluit ibidemq; reliquit, & tabulam. Anno. D. 1660.

L X I I.

JOachimus Szwęderski, in certis ſuis afflictionibus, & moleſtijs, dum conſolationem recipit, auxiliante D. Martyre, ad quem vota fecerat, memor beneficij, tabulam argenteam Eccleſiæ illi obtulit. A. D. 1661.

LXIII.

ILluſtris & Magnificus Dominus Georgius de Konary Slupecki, Caſtellanus Lublinenſis, die ipſo S. Staniſlai parum abfuit, quin naufragium non pateretur, iam pœnè à voragine abſorbebatur, penes villam Szkuciska. *Illo pœnè in puncto mortis, dum inuocat auxilium* S. Staniſlai Patroni Poloniæ, mirabiliter trahitu veſtibus penes nauiculam, à reliquis reſidentibus in naui, vſque ad ipſam ripam viſtulæ, illoq; in littore vouet, ſe quotannis pro qualibet feſtiuitate S. Staniſlai Petrouinum venturum. Agnoſcens beneficium tantum ſancti hujus Præſulis nihil moratus, vna cum Paſtore ſuo, Admodum Rndo Staniſlao Dobielouic Decano Chodelienſi, Parocho Opolienſi, audito Miſſæ ſacrificio in illa Capella ſacro, ab eodem celebrato vota exoluit. A. D. 1661.

LXIV.

EGo Staniſlaus Dobielowic Parochus Opolienſis, Decanus Chodelienſis, recognoſco & relinquo poſteritati magnum hoc miraculum, & beneficium præſtitum à ſancto Præſule Staniſlao, quod Incolæ & Paræciani Eccleſiæ Opolienſis agnouerunt ab Anno 1643 vſque ad præſentem Annum 1665. quod vbique locorum crebriùs peſtilentiæ cum ſæuirent, quoduè majùs, tanquam ad aſyllum, ad oppidum Opolienſe confugerunt, Nobiles, Ciues Lublinenſes, etiam perfidi Iudæi ſua com-

commercia circumquaque habentes, voto facto ad Capellam ſacram Piotrauinenſem, vno & altero lapide à nobis diſtantem, incedentes proceſsionaliter, cum Fratribus Sacratiſsimi Roſarij, imagine Deiparæ portatâ, effigieq; S. Staniſlai oblatione facta, vexilli, argenteæ tabulæ, & alio donariorum à mortuis limine euaſimus. Quin etiam inuaſor Regni noſtri Sueciæ Rex, Principesque Tranſyluaniæ præmiſsis Coſacis, nihil nobis nocuêre, neque flamma, neque gladio, vaſtatis & redactis in cinerem in circuitu villis & oppidis. O miraculum! ô beneficium! ô prodigiũ! incolæ oppidi Opole ſemper prædicant, ſuamq; illi ædiculæ ſacratæ Piotrouinenſi incolumitatem, fortunam, vitam debent.

Placet hic adiungere Inſcriptionem in fronte ſacræ illius ædiculæ poſitam, & B. Petri Epitaphium à Diuo Præſule à mortuis reuocati.

Super Capellam inſcriptio.

Hic triennis Cadaueris oſſa, magni ad vocem Sacerdotis
Naturâ, orbeq; admirantibus, viuifica reſurgunt.
Chriſtiq; patrimonium teſtimonio vindicatur.
Heus quiſquis es, qui facultates altarium ſacrilegè
rapis, detines, vſurpas, ſpecta, redde, caue.
Staniſlaus Gawarski, Decanus Plocenſ. Canon. Cracou.
Secretarius Regius, Hujus Eccleſiæ Rector.

Super

Super Columnam Templi.

Viator, ſiſte, lege, mirare.

JOannes Dlugoſſus Canonicus Cracouienſis, nominatus Archiepiſcopus Leopolienſis grauis, & probatæ fidei rerum Polonicarum Scriptor, narrat rem admirandam, quæ per omnes ætatum ſeries, ad illius vſque tempora perpetuò obſeruata eſt. Ex omni poſteritate Petri de Piotrauin (quorum inuiſa Deo auaritia, Patrum poſt triennalem quietem vitæ reſtitui fecit) nullum extitiſſe adhuc qui aliquâ in Republ. dignitate honoreq; inſignitus, quiue vllâ mediocri bonorum affluentia à fortuna dotatus ſpectaretur, prout ijs Patruus, ipſe rediuiuus minatus eſt, & prædixit. Rus eorum gentilitium laniſzewo ejuſdem incolis familiæ ita ſemper refertum manet, vt colonis, agrarijs non ſit locus. Ipſi ſe Nobiles proprio ſudore ſuſtentant, nec tamen euadunt locupletiores. Id nos quoque hoc reliquo poſt Dlugoſſum temporum tractu, ex hominibus ejuſdem gentis longæuis obſeruata, ab ſeſe Patrumque narrata recolentibus indagatione accurata didicimus. Quod ſane in tot emergendi per virtutem modis vijſq; Nobili in hac Patria ſtirpi, nulli propemodum vſuuenit. En quanti conſtat rerum Deo dicatarum iniuſta vſurpatio? Iam ſoſpes abi & rumina.

Epitaphium B. Petri de Piotrawin

Militis, marmori inciſum ſuper tumulum eiuſdem.

D. O. M.

Petro de Piotrauin Equiti bis mortuo.

Hoſpes, cœli venerare ciuem, quem vitæ
Noxas, beatitudinis requiem retardantes, apud
Inferos trienniò purgantem, ſanctus Antiſtes
Staniſlaus ab vmbris reuocauit, carneq;
Iterato circumuolutum, legitimæ poſſeſsionis
Teſtem Sacrilegis vſurpatoribus oppoſuit.

Miraris miraculum?

Quinimò animarum immortalitatem, Corporum reſurrectionem
Flammas, inquinamenta purgantes,
Poſſeſsionum Eccleſiæ Ius Sacroſanctum,
Denique Staniſlai Præſulis venerandi,
Numine cooperante, talia patrantis,
Sanctimoniam, diſce, mirare.


Simon Koludzki, Præpoſitus Gneſnenſis, Cuſtos Plocenſis, Canonicus Cracouienſis, Vladiſlauienſis, Eccleſiæ Piotrauienſis Rector, S. R. M. Secretarius &c. A. D. 1640.

CONCLVSIO OPERIS.

HÆc ſunt vir ſpectabilis & venerande, beatiſſimi noſtri ac fortiſſimi militis, martyris Chriſti Stanislai Cracouienſis Epiſcopi, compendiosè à me conſcripta, vitæ & meritorum miracula, quibus ſua glorificatio, apud terrenos homines oſtenſa eſt, quibus ad ferendum mortalibus ſuffragia prompte vna ac libenter inuocatus accurrit. Quantam verò apud ſuperos & cœleſtes conſecutus ſit: ne dum mea, nec cujuſcunque eruditiſſimi Oratoris lingua depromi, nec ſenſu percipi poteſt, quæ per fœda & horrenda tormenta, pro fide, juſtitia, pietate, libertate populi totius Polonici pro ſpe futuri ſæculi, pro charitate Chriſti tolerans, mirabilem pertulit agonem, quæ ſi ſcrupuloſè quemadmodum in cæteris aſſoles digeſſeris, luſtraueris, reperies profectò in ſancto noſtro Stanislao vitam Angelicam, & admirabilem martyrij ordinem crudelem & horribilem, canonizationis ſeriem impeditam, & difficilem, atque ex his intelliges virtutis ejus coronam, ſtupenda nimis & memorabilia habere præconia: quibus ſanctus ipſe ſtupendus & mirabilis, omnium quoque ſtudijs vbique celebrandus effulſit, ipſiſque recenſitis, & diuini ignis incenſus ardorem, & in Redemptoris noſtri IESU Chriſti, & in ſancti noſtri Stanislai amorem pectus concitabis. Miraberis diuini conſilij, tam prouidentiam, quam altitudinem, non tam pro mirificando ſancto ſuo, quam pro ſaluando genere humano præſtitam, quod & naſci apud Polonos tale germen voluit, naſcenti vberem gratiam infudit: patienti robur ad vincendum præſtitit, nexus & obices canonizationis diſſoluit. Quorſum hæc niſi vt vniuerſis orthodoxæ fidei cultoribus: ſingularius tamen Polonis donaretur Patronus de ſuper, eâ glorificatione prædi-

tus, eo munere dignificatus, eo merito in omne æuum futur⁹: quod terminari nullo vnquam tempore, nullâ obliuione deleri posset: perennem memoriam, post perennem vitam castam religiosè ac sanctè traductam sortitus ad propinandam gratiam diuinam ad vincendam carnis petulantiam: mundi blanditiem: dæmonis astutiam & ad consequendam suo merito, atque suffragijs beatitudinem sempiternam, quam tibi & vniuersis Christi IESU insignitis charactere, & redemptis sanguine, concedat ipse Christus Dominus, in omne sæculum benedictus, Amen.

Vale felix sospes & alacer, & sæpius pro me interpella orationum tuarum suffragijs; quam maxime indigente, & varijs sordibus peccatorum inquinato: oratione tua impetraturus mihi resolutionem, facinorum & multitudinem lacrymarum. Equidem vt te ad amorem sancti nostri amplius incenderem, vt in gazophilatium domini aliis grossos saccos, & conferta marsupia fundentibus, duo æra minuta mitterem, in quibus illius Euangelicæ viduæ laudata est deuotio, vt jussa majorum meorum capesserem: vt præterea meæ erga te deuotionis, venerationis, obseruantiæ, fidei documentum aliquod ederem, mei ingenioli, mearumque partium munus, exile quidem, incomptum ac tenue fateor tuisque auribus parùm dignum, libenter tamen, atque impigrè sum executus. Iterum vale. Datum Cracouiæ pridie Kalendas Iulias. Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto.




BIBLJOTEKA KÓRNICKA
11566